Zool. 265

Digitized by Google



Ex Bibliotheca Jos. Paul. nobil. de Cobres
Sacr. Rom. Imp. Equit. Sacr. Ord. Meli-
tens. mediæ Crucis Donati, & Agentis
Academ. Caes. Leopold. Natur. Curios.
& Societ. Berolin. Dantisc. & Halens.
Socii honorarii.

4° Zool. 265.

Hist. nat. Regnum animale. Class. IV. Pisces
Monographia .338.

Zool. N° 20A.

D. O. M. S.

PAULI NEUCRANTZI

ROSTOCHIENSIS,

PHIL: ET MED: DOCT:

DE HARENGO

Exercitatio Medica,

In quâ principis piſcium exquiſitiſſima bonitas ſummaq; gloria aſſerta & vindicata,

Ad Ampliſſimos Reipubl: Lubec: Conſules.

LUBECÆ,

LITERIS GOTHOFREDI JEGERI,

ANNO cIↄ Iↄc LIV.

Sumptibus JOACHIMI WILDII, Bibliopol: Roſtoch:

MAGNIFICIS, NOBILISSI-MIS, CONSULTISSIMIS ET AMPLISSIMIS VIRIS,

Dn. D. CHRISTO-PHORO GERDESIO,

Dn. D. ANTONIO CÖLERO,

Dn. HERMANNO VON DORNE,

Conſulibus Reipubl. Lubecenſis laudatisſimis,

Dominis ſuis omni obſervantiæ cultu honorandis,

Felicitatem perpetuam optat

Author.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS.

PAULI NEUCRANTZI, ROSTOCHIENSIS, PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS,

DE HARENGO Exercitatio Medica.

CAPUT I.

In quo de præſentis ſcripti occaſione refertur.

NOn ita pridem, Magnifici, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, & Ampliſſimi Viri, Domini ſingulariter honorandi, in nuptiis *Thurovianis* ſuper *Harengorum* bonitate inter nos diſſertum fuit: *Dn. D. Johanne Grakio Harengum*, ceu piſcem ingratum minusq; ſalubrem, arceſſente; ut qui ejus rei proprium ventriculum teſtem haberet, qui noviſſimè *Harengi* recentis & probè cocti eſu admodum offenſus fuerit, concitâ nauſeâ, ructu, torminibus intra viſcera detonantibus & conſectariâ gravi diarrhœâ: ut poſt hac *Harengo* ſibi meritò abſtinendum ducat, viliſſimo, & famulorum menſis damnato cibo: quem abjectiſſimæ ſortis homines etiam *Travemundæ*, ubi vivus retibus ſubducitur, parvi æſtiment, aliumquemvis piſcem præ illô libentius accepturi.

A quâ opinione non longè abeſſe videtur popularis de *Harengorum* malignitate perſuaſio, pro confirmandâ *Doct. Grakii* ſententia à DN.

à DN. COSS. adducta: eſu *Harengorum* febres excitari: cui rei cavendæ & diligenter coqui, & ſale paulò copioſiore eos condiri noſtræ matresfamilias jubeant; appoſito etiam embammate ex *aceto* & *raphano ſylveſtri*, quò noxia eorum qualitas emendetur. Qualem de *Harengis* iniquam exiſtimationem ſuo tempore apud *Belgas* increbuiſſe, & medicos nonnullos iisdem aſſenſos narrat *Balduinus Ronſſeus epiſt. medic.* 29. Quemadmodum & *Stephanus Schonveldius lib: de piſcibus, tit: de Hareng:* piſcem mollem & excrementitium *Harengum* putat, qui facile febres generet incautè utentibus.

Sciebam me nuper contrarium in *libro de purpurâ* aſſeruiſſe, & adhuc dum firmisſimis rationibus alligatum in hac manere ſententiâ: *Harengum* commendatisſimæ bonitatis piſcem eſſe, omnesq; notas, quæ electisſimo cui cui piſcium generi à medicis, aliisq; rerum naturalium peritis ſcriptoribus, attribuuntur, manifeſtò referre; ut propterea non debuerim tum non ſuſcipere pro principe piſcium neceſſariam defenſionem, niſi disſimulatâ rei veritate ſpeciem ignavisſimi adulatoris ſubire voluiſſem: ὃν ἐςὶ θεάσασθαι πάντα καὶ λέγοντα καὶ πράττοντα, ὅις χαριεῖσθαι ὑπολαμβάνει juxta *Theophraſtum in charact: Ethic:*

Fateor me differendi iſtâ occaſione propoſitâ ſermone ulterius provectum, quàm rei, loci ac temporis ratio admitteret: ut proptereà publicè veniam petere non recuſem; quam & oppidò me impetraturum, pro magno ac prothymò veſtro in me adfectu, confido; ut maluiſſe me deprecari, quàm culpâ vacare, forſan videri posſim: quod in A. *Albino M. Catonem* reprehendiſſe ex *fragmentis Corn. Nepotis, ex incerto libro de viris Illuſtribus*, memoratur.

Sed qualis adhibenda excuſatio apud ſummos Reipublicæ noſtræ Proceres? qui veſtrô glorioſô exemplô, quòd aliàs grande cæteris in rebus momentum allaturum, docetis, feſtam conviviorum nuptialium hilaritatem non ineptis, inanibus ſpurcisq; ſermonibus tranſigere; nec potu ciboq; adeo ſaburrare ventrem, ut is vomitu cuncta remetiatur, aut ſaturitas, ſequenti die duratura, reſupinato ventriculo, cuncta poſtmodùm faſtidiat. Qualem πολυφαγίαν in *Bœotis* Comici, *Eubulus* in *Antiope*, in *Europâ*, in *Cercopibus*, in *Myſis*, *Diphnius* in *Bœotio*, *Alexis* in *Trophonio*, *Polybius Megalopolites lib.* 20. *Hiſtor:* in

in *Theſſalis*, *Crates* in *Lamiâ*, *Philaterus* in *Lampadophoris* (unde Ἐνθεσις Θεσσαλικὴ *Theſſalica buccea* apud *Hermippum* in *Fatis*) notarunt, referente *Athenæo lib.* 10. *Deipnoſophiſt*: Quemadmodum & πλυμωίαν in *Parthis*, qui gloriam hac virtute quæſiverunt, *Plinius lib.*. 14. *Hiſtor. cap. ult*: in *Græcis Divus Baſilius*, *ſermone in ebrietatem & luxum*: *tomo* 1. *pag.* 335. prodigioſo potationis modo propoſito, quem recenſet *I. Lipſius centur*: 3. *epiſt.* 51. unde & *græcari* apud *Horatium lib.* 2. *ſermon*: *ſat*: 3. in *Germanis Cornelius Tacitus libro proprio de ſitu & moribus German*: reprehenderunt. Quod tamen κώκωνθες rarum viſu in nuptiis *Lubecenſibus*, obſequiô civium in *Conſules*, ut civitatis *Archontas*, & æmulandi amore, qui validior, quàm pœna ex legibus & metus, ut *idem lib.* 5. *annal. p.m.* 125. monebat.

Ipſi eruditisſimis ſermonibus de rebus variis, ſeriis, itemq; jucundis, tempora bibendi tranſigitis, & pro ſummâ veſtrâ humanitate, honoratæ gravitati conjunctâ, convivas alios exemplô invitatis: ut non publico & ſolenni epulo, ſed *Agathonis* apud *Platonem lib. de amore*, *Calliæ* apud *Xenophontem libro peculiari de convivio*, *Laurentii*, civis Romani ſplendidi, convivio apud *Athenæum lib.* 1. *Deipnoſophiſt*: *Plinii majoris* cœnæ apud ejusdem *nepotem epiſt*: ad *Marcum*, aut *Plutarchi* ſympoſiacis disquiſitionibus intereſſe mihi videar, & gratia converſationis poſtero die apud me perduret: quod de *Platonis* convivio *Timotheus*, *Cononis* filius, Dux *Athenienſium* Clarisſimus teſtatus apud *Ciceronem lib.* 5. *Tuſcul. quæſt. p. m.* 247. & *Athenæum lib.* 10. *Deipnoſoph*: *p.m.* 419. ὡς οἱ παρὰ Πλάτωνι δειπνοῦντες καὶ τῇ ὑστεραίᾳ καλῶς γίνονται. Quemadmodum & *Ariſton* Philoſophus *lib.* 2. *amator*: *ſimilium*, referente *Plutarcho lib.* 1. *problem*: *ſympoſ*: *quæſt*: 1. prodidit, *Polemonem* Academicum juſſiſſe convivaturos φροντίζειν, ὅπως ἡδὺν πότον ποιῶνται, μὴ μόνον εἰς τὸ παρὸν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν αὔριον, curare, ut compotationem facerent, non ſolùm in præſentem, ſed & in ſequentem diem gratam. Qui recenſiti authores dignum judicarunt, colloquia in conviviis habita in monumenta literarum referre, ſi quid ſcripto ac memoriâ dignum inter pocula diſputatum fuerat: quod & ab *Ariſtotele*, *Speuſippo*, *Epicuro*, *Hieronymo*, *Dione Academico*, factitatum legimus apud eundem *Plutarchum loco jam adducto*: Cum etiam doctis ἐπ᾽ οἶνῳ χάριν *Ariſton* eſſe velit, maximè ſi eruditi conviventur. Et benè vete-

res *Romani* authore *Cicerone* in *Catone majore*, & *lib. 9. epiſt.* 24. accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius quàm Græci: qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem συμπόσιον καὶ σύνδειπνον vocant: ut, quod in eo genere minimum eſt, maximè probare videantur.

Iſtorum imitatione pauca de *Harengo*, quorum recordatio animum adhuc occupat, ſuccisivâ operâ, ſed non ingratâ (ut quæ mihi ſuaviſſimæ converſationis memoriam refricare voluerit, & lectorem meum, ac ſi præſens amicæ diſſertationi interfuiſſet, oblectare poſſit, arbitrante *Plutarcho lib. ſympoſ. quæſt. in proœmio*) litteris mandare & pro *Harengi* gloriâ à me meditata præſentibus commentariis inſerere volui, nullâ *Doct. Grakii*, viri aliàs mihi amiciſſimi, invidiâ; cui, aſſerenti publicam *Harengi* famam, propriiq́; ſtomachi experimentum, crimini dari non debet, ut Juris perito, & ſtudiorum ſuæ profeſſionis apprime ſatagenti. Illud quæſo, ne hæc legentes, quoniam *Harengum*, publicè conceptâ & confirmatâ jam vulgari exiſtimatione, pleriq́; ſpernunt, etiam relata faſtidio damnent: cum, monente *Plinio lib.* 11. *nat: hiſtor. cap.* 2. *in contemplatione naturæ nihil poſſit videri ſupervacuum.*

CAPUT. II.

Harengum Græcis pariter & Romanis ſcriptoribus ignotum fuiſſe demonſtrat.

INter principia vero diſquirendum, an *Harengus* priſcis ſcriptoribus innotuerit: de quo admodum dubito. Neq́; enim apud *Ariſtotelem, Athenæum. Oppianum, Ælianum, Plinium, Galenum, Oribaſium, Iſaacum, Avicennam, Raſem*, præcipuos rei piſculentæ authores, quicquam de *Harengo* ſcriptum reperies: ſive quod illis ignotus plane fuerit; (nec enim ſeculis prioribus, tam ampla, ut noſtro tempore circumnavigabili orbe, hinc illinc exercita commercia, propter *pericula horridi & ignoti maris*, ut *Corn. Taciti* ver-

bis *de mor: Germ:* utar,) ſive quod eorum hac in re operas decurſu tot ſeculorum vetuſtas penitus aboleverit.

Non diffiteor armis Romanorum ſubactam fuiſſe *Galliam, Flandriam, Bataviam*, ipſamq; *Britanniam à C. Julio Cæſare* tentatam: ut militibus, eorumq; præfectis incognitus nobiliſſimus piſcium haud fuerit. Salitura tamen *Harengi* diu illic aut ignorata creditur, prodita primùm tot retrò ſeculis, aut locis remotioribus exercita. Et illi æruſcatores quærendæ magis pecuniæ, quam rei literariæ juvandæ occupati fuere. Ut enim verè *Petronius in Satyr:*

Regio ſi qua fuit, quæ fulvum mitteret aurum,
Hoſtis erat, fatuq; in triſtia bella paratis
Quærebantur opes.

Serò ad nos venere bonæ litteræ, earumq; pretia diu ignota: qua de re tot egregia facinora, à majoribus patrata, æternâ oblivione ſepulta iacent. Sed qualis *Germania à Pomponio Mela lib. 3. Julio Solino cap. 32. Strabone lib. 7. geograph. Plinio* (cujus utinam libri viginti de bellô *Germanicô*, à *Druſô* geſtô, ſuperarent!) *lib. 4. nat. hiſt. cap.* 14. *Cornel. Tacito de ritu & mor: Germanor: ſingulari libro* deſcripta? ut quisquis hodie abrogare tantis authoribus fidem debeat, aut multò maximè in melius mutatam, & quaſi aliam à ſe ipſa factam *Germaniam* fateri neceſſum ſit. Equidem cum confesſione ipſius *Strabonis*, loca, quæ trans *Albim* ad *Oceanum* ſunt, *Romanis* prorſus fuerint ignota, & *Plinii libro allegato, Germania* tota percognita illâ ætate nondum fuerit, nil mirum, generoſum hunc maris noſtri indigenam *Græcos*, quorum major in anquirendis rebus & vetuſtior induſtria, pariter & *Romanos* latuiſſe: quemadmodum & hoc tempore præter centum ſeptuaginta ſex in mari viventium, à *Plinio lib. 32. hiſt. nat: cap. 11*, recitata, multa piſcium genera nobis incognita, ut ne quidem nominis eorum fama ad nos pervenerit, qui in vaſto mari ad utramq; *Indiam* ipſamq; *Arcton* degunt. Neq; enim omnium piſcium exquiſitiſſima ſcientia aut præteritis ſeculis, aut noſtro comperta, aut futuris, ſi quæ erunt, ſperanda, ut verè *Bryerinus lib. 2. de re cibar: cap. ult:* cenſebat. Quæ res penetraturis in ſecreta naturæ magno ſit argumento Divinæ Majeſtatis potentiæ, ad quam & heic conniveat intellectus humanus.

Illud,

Illud, ut maximè hujus loci, referre placet, me non dum exquiſitisſimâ ſciſcitatione ab ullo, qui maris mediterranei loca, ipſamq; *Turciam* penetravit, comperire potuiſſe *Harengum* recentem illic à ſe viſum atq; comeſúm. Ut extra dubium ſit, *Harengum* antiquisſimis ſcriptoribus ignoratum fuiſſe. Nam quod *P. Bellonius de la nature & diverſite des poiſſons l. 1. Chap. 14.* in mari mediterraneo *Harengos* naſci, ſeq; tempore quadrageſimarum *Romæ* in foro vidiſſe, aſſerit; vereor cum *Rondeletio & Ulyſſe Aldrovando*, ne formæ cum *Thrattis & Sardinis* ſimilitudine decept⁹ fuerit: qui authores in mari mediterraneo *Harengos* dari negant; quorum ſalſuram, ut exoticá, copioſiſſimam propterea quotannis in *Italiam* ab *Hollandis* transportari ſcimus. Ipſe *Franciſcus Vicquius*, Medicus *Amſtelredamenſis* celeberrimus, qui magnam *Turciæ* partem peragravit, ſententiæ dubius eſt, ut ad me ſcribit *Ampliſſimus Dn. Tulpius*, an *Harengos in Propontide*, comederit, an *Celerinos* quos eosdem cum *Sardinis* ſeu *Sardellis* cenſet *Bellonius lib. 1. obſervat: cap. 75.* Quod ſi ad *Sceniam* & *Norvvegiam* olim captura *Harengorum* ampliſſima fuit, quæ nunc in Oceano *Germanico* ad *Britanniam* uberrima agitur, quid mirum, locis illis ab Imperiô Romanô remotioribus minusq; cognitis, etiam *Harengum* ſubterfugiſſe *Romanos*, &, invicto *Septentrione*, Regem hunc piſcium principem terrarum populum declinaſſe.

Equidem ſuos præſcriptos habent fines, quos temere non tranſcendunt, piſces, ac ſi muris, vallo aut ſepibus intercepti, aut à Thalaſſometra quodam (ſed Geometram audivimus, Thalaſſometram nunquam audivimus, ait *D. Ambroſius*) lineis circumſcripti forent: nec omne mare omnes alit piſces: ſui cuiq; mari vernaculi ſunt, quos alibi non reperies, ut præclarè de illis *D. Baſilius Magnus Hexaemeron homilia 7. & D. Ambroſius lib. 2. Hexaemeron, cap. 10.* Ingens iſta reputantem ſubit rubor *ἀκρασίας* humanæ, cum natura noſtra modicis contenta, & parvo dives, vitiis ſuis veteres terminos rumpere, ferroq; & flammis cuncta inter ſe dividere mortales, hyberna experiri maria, ſcrutari telluris viſcera, ſedemq; manium, inacceſſa juga montium, quæ nunc in mille ſcinduntur lapidum genera, ipſaq; nubila petere, per deſerta & ardentia loca immenſo longitudinis ſpacio vagari, nullumq; toto orbe relinqui locum, quò non humana penetrent veſtigia,

ſolâ

ſolà et inexplebili,ut fatetur *Plinius lib.3, hiſt. nat. cap. 3. & 10.habendi cupidine.*

Sed conſideremus,cui piſcium generi accenſeri *Harengus* debeat. Non enim *Thriſſa* eſt, aut è *Thriſſarum* genere, ut arbitrantur *Caſpar Hoffmannus l.5.inſtit.med.c.22.Hadr.Junius in Nomenclatore,Rondelet.l.7. de piſcib.c.16.*viri eximii & doctiſſimi.*Thriſſa* enim inter *Niloticos* piſces refertur ab *Athenæo l.7.Deipn.p.312.* & quæ ex mari in flumina traiicī-at *Oribaſ.l.2.coll.c.48.*Et *Dorion* in piſcibus fluviatilibus *Thriſſæ* meminit apud *Athenæum lib. citato p.318.* Quo loco *Thriſſæ* ἀχυρώδεις,ϗ ἀλιπεῖς,ϗ ἄχυλοι,ſpinoſæ,aridæ & exuccæ,*Hiceſio* dicuntur; injuriâ inexpiabili, ſi quis id de *Harengo*,lautiſſimo & maximè conditaneo piſce, (ut qui omnes notas referat requiſitas à *Gal.3.alim.41.* in ſalſuris,cum *Thriſſæ* aridiores muriâ ſervari nequeant,) aſſerere velit. *Thriſſis* etiam,ſeu *Aloſis*,ſpinæ multo *aſperiores* ventrem firmant,*Harengis* minus aſperæ : quam ob cauſam ſi paulo diutius aſſerventur,disrupto ventre inteſtina procidunt. Sed & ſpinæ in his tenuiores & inter edendum minus moleſtæ,in illis multo magis infeſtæ authore *Ulyſſe Aldrovando lib.2.de piſcibus cap.*10.Quo ſigno etiam *Harengos à Thraſſis & Aloſis* parvis *Rondeletius loco adducto* diſtinguit: quas *Romæ,Maſſiliæ & Venetiis,Harengis & Sardinis* adeo ſimiles eſſe ſcribit,ut eas pro *Harengis* facile accipiant etiam *Galli*,quibus tamen *Harengus* notus. Qua formæ ſimilitudine deceptum *Bellonium Aldrovandus* autumat,qui in mediterraneo mari *Harengos* naſci, ſeq; *Romæ* vidiſſe in foro aſſerit. Præterea *Thriſſas* locum non mutare ex *Ariſtotele Athenæus* narrat; quod nec *Harengo* competit,qui immenſo tractu maris latè vagatur, totamq; Britanniam circumnavigare dicitur *Camdeno. Schoockio* & aliis. Idem *Athenæus Ariſtoteli lib.5.hiſt. animal. & περὶ τῶν ζωικῶν libro Thriſſam Orcheſtridem* vocari ſcribit,quod ſaltatione & cantu gaudeat, eoq; audito exiliat è mari : quemadmodum & *Thriſſas Ægyptias* ad cantum & teſtarum crepitum ſaltantes capi memorat *Ælianus lib. 6. de animal. cap.32.* quod ut de *Harengis* non compertum,qui ſuâ ſponte innumeri glomerantur; ita *Thriſſas,Aloſas Auſonii*,aut ſi mavis *Trichides* aut *Trichias*,noſtris Roht Augen/aut Bleyer & Blicker dictos, *Alburnos Auſonio*,in mediis cantib⁹ cælo tranquillo ſubſilientes & ludentes obſervare licet.Quos piſces ἐπεὶ θριξὶν ὅμοια ἔχουσιν ὀστᾶ ita dictos ait *Comment. Ariſtoph: in Acharn:*& Jul.Pollux *lib. 2.* ἀπὸ μὲν τι τῶν τριχῶν τριχίας ἰχθύες.

ἰχθύες. Firmat *Caſaubon.animadverſ.in Athen.l.7. cap.24.* aut quod ſint ſpinoſi & per imprudentiam deglutiti penè ſtrangulent.

Nec *Chalcis Ariſtotelis lib.8.biſtor.animal.* 22. quam æricam *Theodorus Gaza* à ſquamarum argenteo ferriq; ſplendentis colore interpretatur, *Harengus* eſt, ut opinantur *Ulyſſes Aldrocandus loco citato. Camdenus in Britannia pag.586. P. Bellonius de la nature et diverſite des poiſſons lib. 1. Chap.14. Schoockius lib.8. Belg. fœder. cap.2.* Illa enim loco *Ariſtotelis* relato inter fluviatiles piſces allegatur. Præterea *Chalcis* eodem authore vitio diro, quod nulli piſcium accidit, infeſtatur, ut pediculi ſub branchiis innati multi interimant. Etſi enim *Harengus* ſit tectus argenteis ſquamis, aut quæ nitidiſſimum ferrum referant, ut illo ſplendore *Chalcidis* nomen mereatur, fluvialis tamen non eſt, nec fœda *Φθειρίασις* tam nobilem piſcem abſumit, nec unquam in eo deprehenſa. *Chalcis* quoq; ter anno parit, teſtimonio *Plinii lib. 9. hiſtor. nat. cap.51.* cum *Harengus* ſemel in anno, vere ſcilicet, & in quibusdam locis autumno venere exſolvatur, laſſis tum ac marcidis coitu piſcibus, vaſisq; ſpermaticis extenuatis & flacceſcentibus.

Nec *Harengus μαινὶς* eſt *Ariſtotelis lib.6. hiſtor. animal. cap.17. & 8. hiſtor. animal. cap.30. Mana Plinii lib.32. hiſtor. nat. cap.11. Italis Menola. Μαινὶς* aut *λευκομαινὶς Athenæi lib. 7. Deipnoſoph. pag. 315.* etſi *Halecem Theodorus* Gaza interpretetur. *Maſſarius* vir apprime doctus & induſtrius *λευκομαινίδας* ſivè *σμαρίδας*, quas gerres dixit *Plinius*, *Veneti girulos* vocant, *Belgarum Aringas* eſſe autumat, opinionis non certus, ut refert *Hadrianus Junius in Nomenclatore.* Neq; enim brumâ *Harengus* parit, ut *mæna*, ſed vere: cujus fœtura menſe *Julio & Auguſto* capitur in fluviorum oſtiis. Sed nec color *Harengi* maris in nigriorem aut multæ varietatis vertitur, ubi fœmina coitu impleri incipit, quod de *mænide Ariſtoteles lib.8. hiſtor. animal. cap. 30.* prodidit, & *Plinius lib.9. hiſtor. nat. cap.26.* mutare colorem candidas hyeme mænas, & æſtate fieri nigriores, aſſeruit. Nec maculæ cæruleæ toto corpore & potiſſimùm in capite & dorſo ſparſæ, ut de *mæna Rondeletius lib. 5. de piſcibus cap.13.* tradit: ſed nec peſſima carne efficitur, ubi fœmina impleri incipit, ut ob fœtorem *τράγος* appelletur *eodem authore.* Unde *Martialis lib.12. epigramm.28.*

Fuiſſe gerres, aut inutiles Manas,
Odor impudicus hirci fatebatur.

Quas

Quas in nullo pretio apud *Romanos* fuiſſe ex iisdem verſibus conſtat, cum *Harengus* recens *Italiæ* ignotus ſit. Sed nec ex arena ac cœno *Harengus* generatur, quod de *Mænide* tradit *Athenæus lib.7. Deipnoſoph: pag. 285.* Puſillam quoq; *Mænida Numenius* apud *eundem libro allegato pag. 318.* & *Antiphanes* in *Ruſtico*, ſive *Butalione*, *Mænidas Hecates* cibum ibidem *pag. 313.* appellat, διὰ τὴν βραχύτητα: viliſſimos enim, minimos & contemptiſſimos, piſces *Hecate* in deliciis habet. Unde proverbio datus locus *Hecates cœna*, de qua *Eraſmus* in adagiis. Quæ an *Harengo* competant, guſtus arbiter experientiaq; nos docebunt.

Nec veterum *Halec*, *Alec* aut *Hallex* Harengus eſt, vox, ut teſtatur *Priſcianus lib. 6.* ab authoribus uſurpata & fœminino & neutro genere, ab *Horatio* ſcilicet, *Plauto in Aulularia*, ſi *Nonio Marcello* credendum, *Numero 395. Martiale lib. 11. epigramm: 28, Plinio lib. 9. nat. hiſtor. cap. 17. & lib. 31. cap. 8.* *Alex* enim muriæ conditaneæ genus fuit, & vitium gari, authore *Plinio loco poſterius adducto*, *imperfecta ſcilicet ejusdem nec colata fæx.* Quo videtur alludere *Plautus in Pœnulo act. 5, ſc. 5. verſ. 31.* *Halex* viri, id eſt non vir, ſed vitium viri, muria & pene fæx, ut cenſent *Taubmannus & Lambinus in comment: Acidalius Hallex* viri interpretatur effœminatum, & qui virum ſibi quærat. *Horatius lib. 2. ſerm. ſat. 4.* fæcem ab halece diſtinguit,

——— ——— *ego fæcem primus & alec*
Primus & inveni piper.

Ut vel hinc conſtare poſſit, *garum*, *alec* & *fæcem* iisdem ſalituris piſcium provenire: quorum *garum* maximo pretio olim veniit, *halec* minore; *fæx*, vero minimi æſtimata. Condiendis cibis *halec* olim uſurpatum, quemadmodum & *garum* famoſum antiquorum condimentum fuit, ut in *de purpura libro* docui. *Halec* autem, variis piſcibus paratum, pervenit etiam ad *oſtreas*, *echinos*, *urticas*, *cammaros*, *mullorum jocinora*: *innumerisq; generibus ad ſaporem gulæ ſal cœpit tabeſcere* teſte *Plinio lib. 31. nat. hiſt: cap. 8.* Et *M. Apicius ad omne luxus ingenium mirus ex mullorum jecore alecem excogitare provocavit* eodem *Plinio* referente *lib. 9. nat. hiſt. cap. 17.*

Quin nec *Harengus Alecula Columellæ* eſt, de qua ſcribit *lib. 8. de re ruſt: cap. 15.* *Datur rivalis alecula, vel ſi quæ ſunt incrementi parvi fluviorum animalia.* Non enim *Harengus* in *Italia capitur*; ſed oceani

Germaniæ marisq; Balthici præcipuus piſcis, dulcis undæ minimè tolerans, niſi quod fœtus novelli ſalſi maris impatientes, & commodioris paſtus gratia, ad ora fluviorum æſtate reperiantur. Conditas tamen ſale *aleculas* fuiſſe vel nominis indicat ratio: *namq; ἅλς ἁλὸς ὁ* ſalem ſignificat: quod & notat *Iſidorus Hiſpalenſis*, cui *lib. 12. Origin. cap. 6.* alecula piſciculus eſt ad liquorem ſalſamentorum idoneus. *Priſciano lib. 6. pag. m. 170. Alec genus piſcis eſt*, *Chariſio Halex ἰχθὺς ταριχευμένος.* Et *Columell. lib. 8. de re ruſt. cap. 17. Itaq; præberi convenit* tabentes *aleculas, & ſalibus* exeſam *Chalcidem.* Sale enim minutos piſces tabeſcere, &, ob mollem humidamq; carnem, colliquari experientia docet, & notum ex *Galeno 3. alim: fac: cap. 41.* Quo ſenſu *Halecum* nomenclaturam *Harengo* ab *Actore*, *Authore lib. de natura rerum apud Vincentium in ſpeculo naturali, Olao Magno lib. 20. Scaligero exercit. 226. ſect. 2. Paulo Jovio,* aliisq;, uſu confirmato jam vulgi vocabulo, datam credo: quod nullus piſcium ad ſalituram magis commodus inveniatur: qui ſalſus in uſum hominum, ultra quàm alii piſces, ſanus durare *Authori de natura rerum* dicitur: ex quo repetit *Vincentius loco jam citato.*

Si tamen tribus aliqua *Harengo* meo arbitrio aſſignanda foret, ad *Chalcidas* eum referrem: cum *Athenæus lib. 7. deipnoſoph: p. 328. & ſeq.* ab *Epæneto Chalcidas Sardinas* vocari, *& Ariſtotelem lib. 5. hiſt. animal:* (locum tamen hactenus reperire non potui) eaſdem *Sardinas*, appellare ſcribat: quas *Harengis* admodum ſimiles eſſe conſtat, ut P. *Bellonius lib. 1. de la nature & diverſite des poiſſons, Chap. 14.* in locum *Celerinorum* ſeu *Sardinarum majorum* ſubſtituerit *Harengi* iconem: & ego formæ ſimilitudine ductus *Sardinas* ſecundam *Harengorum* ſpeciem ſtatuam: quas in mari mediterraneo copioſiſſimas capi, & priſcis ſcriptoribus notiſſimas fuiſſe ſcio. Generalius vero *Chalcidum* nomen, quàm ut uni ſpeciei piſcium competat, unde & *Eritimis* à *Dorione* tributum, quos *Encraſicholos* Chalcedonii vocant, & *Trichiis* à *Chalcedoniis, ut Athenæus loco relato teſtatur.*

Allus quoq; aut *Allex*, ut veteres codices habent teſte *Scaligero in notis, Feſto de verbor. ſignif: eſt pollex ſcandens proximum digitum, quod velut inſiluiſſe in alium videatur*, quod Græce dicitur ἅλλεσθαι.

Harengi nomen, licet foro *Romano* ignotum, in præſenti exercitatio-

tatione retinere mihi conſtitutum, uſurpatum quoq; ab *Ulyſſe Aldrovando lib.2. de piſcib: cap. 10. Rondeletio lib. 7. de piſcibus cap.16.* magnis rei piſculentæ aliisq; authoribus: ut, peregrino nomine dato, piſcem hunc nobiliſſimum antiquis ſcriptoribus ignoratum fuiſſe confirmem. Quod ſi confeſſione horum aliorumq; ſcriptorum conſtet, *Harengum* in mari mediterraneo non capi, in quo tamen adducta piſcium genera obſervantur, ſupervacaneum duco, ejus etymologiam ex antiquis monumentis literarum eruere velle, piſce per tot ſecula incognito. *Noſtris ein Hering* dicitur, *Belgis Harengh/ Italis Harengo,* item *Aringa, Anglis a Heryng, Gallis Harang, Danis Sild.*

CAP. III.

Harengi naturam, locum ejusq; ſpecies recenſet.

HArengus gregalis piſcis eſt, ſequiturq; maximo numero ducem ſuum, præ cæteris corpore decorum. Neq; enim ullus grex caret duce, authore *Ariſtotele lib. 8. hiſtor. animal. cap. 13.* Iconem Archontis piſcium crediti transmiſit mihi *Ampliſſimus & Excellentiſſimus Vir Dn. Nicol: Tulpius, Scabinus Amſtelredamenſis, Medicus noſtri ſeculi Clariſſimus*, cujus litteris me non parũ adjutum in præſenti operâ agnoſco, ut ipſa verba Eruditiſſimi Viri referre conſtituerim, quotiescunq; dabitur occaſio: quod benignum arbitrer cum *Plinio præfat: ad Veſpaſianum Imp: & plenum ingenii pudoris, fateri per quem profecerim.* Ducem vero illum ſi bona fortunâ interceperint piſcatores, plerumq; tantam includant *Harengorum* copiam, ut retia ingentia illis non ſint capiendis, & funes eorum aliquando incidi oportuerit, cum ob incluſam multitudinem extrahi non poſſent, ut ex *Alberto Magno* repetit *Ulyſſes Aldrovandus.*

Fidem teſtor noſtrorum piſcatorum, *Harengos* interdum tantâ copiâ ſubire oſtium noſtri fluminis orasq; maris, ut extra retia (quæ alia poſt alia extenduntur, quò totum agmen piſcium, quod plus quàm quadraginta laſtas aliquando impleat, concludant) manu atq; urceis à pauperibus extrahi poſſint. Ne dicam, quod omnẽ fidem ſuperat, & tamẽ verum eſt, *Bergis Norvvegicis* greges *Harengorum* cumulatiſ-

ſimos ſe aliquando in portum & viçina littora ac ſcopulos recipere, ut remus immiſſus ſtet maneatq; immobilis: quod tum præcipuè circa *Norvvegiam* evenire memorant, ſi gravi tempeſtati ſe ſubducant, aut balæna eos perſequatur, quæ ingentem acervum piſçium hiatu abſorbet. Confer *Olaum Magnum lib.* 20. §. *de Halece.*

De *Balæna* mentionem facienti animus eſt ſubiicere, quæ de cetis *Oppianus*, ampliſſimus ἁλιευτικῶν ſcriptor, *lib.* 5. venuſtiſſimis verſibus cecinit: *Cetum*, cum ad ſtupendam magnitudinem excreſcat, nec, prægravi ob pinguedinem ſuperciliorum pondere, obductisq; & obvallatis audiendi meatibus, infeſtantia magnitudinem vada, aut prædam è longinquo cernere poſſit, comitem habere piſcem parvum, albi coloris, ut *Ælianus* addit, cui longum corpus, tenuis cauda: qui proxime belluam antecedat, caudâq; ante oculos morâ ſignificet, ſeu præda oblata ſit, ſeu piſcatorum inſidiæ aut ſcopuli occulti ſyrtesq; ac brevia ſint vitanda: ἡγήτης propterea dictus *Oppiano* (*Plinius lib.* 9. *hiſtor: nat. cap. ult. muſculum* vocat) quo intercepto immane illud ὕδατος ἄχθος facile ſit capi: cum temere huc illuc feratur, navis onerariæ inſtar, quæ gubernatore deſtituta tempeſtate graviori ſubvertitur. Adi, ſi placet, *Ælianum lib.* 2. *hiſtor. animal. cap.* 13.

Compendio hodie piſcatum balænarum exercent, harpagonibus triſulcis, quibus longiſſimi funes alligati, inter ſquamas injectis: belluæ enim poſtquam ſe vulneratas ſentiunt, ſanguine circumquaq; undas tingente, fundum petunt, & inhærentes harpagones proſtratæ altius infigunt, ut tandem exhauſto ſanguine edant animam. Quarum cadaveribus in littus protractis & diſſectis coctione adeps eliquatur, coriariorum aliorumq; opificiis apprime neceſſarius. Cum vero periculoſa ſit captura balænarum, quod ſæpe lembos ipſosq; piſcatores ſubmergant, quisq; harpagonem ſuo notatum ſigno habet, ut, qui magis ſtrenuè rem manu geſſerit, altiusq; feram penetraverit, navatæ operæ præmium recipiat.

Degit *Harengus* capiturq; in Oceano *Germanico*, quà inter *Germaniam*, magnam *Britanniam* & *Norvvegiam* is ſe latè diffundit, & *Britanniam* numeroſis examinibus quotannis circumnatat, teſte *Camdeno*, Scriptore rerum *Anglicarum* Clariſſimo, in *Britannia pag.* 586. Namq; *eodem authore circa ſolſtitium æſtivum ex alto littora Scotiæ petit,*

quo

quo tempore, quia pinguior eſt, maximè expetitur & ſtatim divenditur. Inde Anglica littora adit, & ab Auguſto medio ad Novembrem uſq; optima atq; uberrima eſt captura à Scarborongh uſq; ad Tamiſis oſtium. Poſtea procellâ aliquâ vehementiore in mare Britannicum defertur, & in eo uſq; ad natalitia Chriſti offert ſe piſcantibus. Hinc Hiberniam utrimq; pernatans in Septentrionalem oceanum circum navigatâ Britanniâ ſe transfert, & ad Junium quaſi ſubſiſtit, et, poſtquam ibi fœtificavit, immenſo agmine regreditur.

Clariſſimus *Dn.Tulpius* ſcribit, *piſcatores pedetentim deſcendere cum Harengis ab Hitlandiâ, ſive ex Aquilone, verſus Scotiæ ac Angliæ littora, & Harengos non procul à portu Jarmudenſi demerſos in profundum; tanquam in tutiſſimo aſylo, hyeme deliteſcere, donec appropinquante vere iter ſuum denuo proſequantur, directo curſu ſuo per lineas ab imperveſtigabili Dei providentia ipſis ſignatas inter Oceani anguſtias, Galliam Angliamq; à ſe invicem dividentes, quoad emenſo jam totius Britanniæ ac Hiberniæ ambitu identidem recurrant coeantq;, intra vertentis anni curriculum, ad eundem, à quo diſceſſerunt locum, præſtolaturi illic Hollandorum Zelandorumq; adventum.* Illi enim integris claſſibus in Oceanum contendunt, & à ſolſtitio æſtivo usq; ad Kalendas Decembres piſcandis *Harengis* occupantur. Ubi tum crebra licet videre *Harengorum* agmina, qui ſecuti Ducem ſuum mare quaquaverſum traiiciunt, ut immensâ copiâ liquidiſſimi æquoris nitorem obſcurent, indeq; pigreſcant fluctus, & oppoſita incidentium impetu retia ſæpiſſime rapiantur, ut ſcribit *Paulus Jovius tract. de Inſ: Hebrid: pag.m. 35.*

Copioſus etiam in freto *Danico*, Belt vocant, inſulisq; ac provinciis regni *Daniæ*, ad *Scaniam* præcipuè (quæ nunc veteris *Scandiæ* aut *Scanziæ, officinæ illius gentium & vaginæ nationum*, ut *Jornandes de reb. Getic. cap.* 13. loquitur, limes antiquum nomen retinet) circa *Falſterboam Harengus* capitur, ſed bonitate illo inferior plerumq;, quem in Oceano *Angli Hollandiq;* piſcantur. Quemadmodum *Bergis Norvvegicis* totoq; *Norvvegiæ* tractu captura Harengorum ampliſſima exercetur.

Illo tempore apud nos, cæteroq; auſtrali *maris Balthici* littore rarior *Harengus* eſt; ſed ſparſim capitur: quoq; propior hyems adeſt, pinguior multò & delicatior ſeipſo factus: imminente vere, ſtante *Favonio*, circiter *Februarium*, *quô maritantur viveſcentia è terrâ*

(qui

(*qui genitalis Spiritus mundi à fovendo dictus, ut quidem exiſtimavere, geſtiente naturâ ſemina accipere, eoq; animam inferente omnibus ſatis* juxta *Plinium lib.16.nat.hiſtor.cap.25.*)plurimi piſcium ἐν τὴν ἀφροδίτην πρόθυμοι catuliunt, teſte *Æliano lib.4.de animal.cap.9*, & *Harengus* ex *mari Balthico* auſtrina loca, fluviorum oſtia, ac littora adit, ut fœturam dulcibus aquis, locisq; à tempeſtatum vehementiâ & belluarum ſævitiâ ſecuris deponat. Has intelligi à piſcibus cauſas, ſervariq; temporum vices cum *Plinio lib. 9. cap. 19.* merito quis miretur: quibus etiam cauſis piſces ex *mari mediterraneo* in *Pontum* ſecedere affirmat *Ælianus loco allegato* & *lib.9, de animal. cap.59.* Tranquillitas enim maximè commoda ad excipiendos piſcium partus, eosq; incolumes conſervandos *eodem authore loco relato*, & *Plutarcho lib. de ſolert. anim.* Docuit idem *Ariſtot. l.8. hiſt. anim. cap.13.* ubi tum victus, tum partus gratiâ Thunnos Pontum petere ſcripſit: quod ille uberior ibi propter aquarum dulcium admiſtionem; hic etiam commodior illic, nullis aut paucis belluis in *Ponto* verſantibus, locisq; ad partum aptioribus: cum & humor dulcior ac potulentior fœtum melius educet. Qui tamen poſtquam pepererint, & proles jam adoleverit, mare repetere dicuntur. Firmat de *Ponto Euxino D. Baſilius Magnus Hexaemeri Homilia 7.p.67.* Ut hinc ratio conſtet, cur lacus maritimi *Boruſſiæ* & *Pomeraniæ* tantâ copiâ diverſiſſimi generis piſcium abundent. Placet, ut non alienum à præſenti materiâ, adſcribere ex *Divo Ambroſio Hexaemer.lib.5.cap.10.* *Piſces ex plurimis locis à diverſo ſinu maris innumeri velut communi conſilio convenientes conjuncto agmine flatus Aquilonis petunt, et ad illud Septentrionalium mare partium quadam naturæ lege contendunt. Dicas ſi aſcendentes videas, Rheuma quoddam eſſe, ita proruunt fluctusq; perſecant, per Propontidem in Euxinum Pontum violento impetu profluentes.*

Agnoſco equidem Divinæ virtutis radios, penetrantes in abyſſum maris, quibus excitati piſces ſtatuto tempore, juſtoq; ordine, quaſi ſub Imperatore aut magiſtro quodam, certa loca adeunt repetuntq;, cætera ἀπαίδευτοι ὄντες, καὶ οὐ μαθόντες τὰ δέοντα ποιέειν, ut loquitur *Divinus Senex lib.6.epidem ſect.5.* Quo magis verecundari nos decet, prævertere pecudes has marinas in propagandâ ſobole humanos conatus. Unde *Ambroſius loco laudato. Piſces tanta maria transmittunt,*

ut utilitatem aliquam ſuo generi quærant. Nos quoq; diffuſa æquora transfretamus. Sed quanto honeſtius, quod ſucceſſionis amore, quàm quod pecuniæ aviditate ſuſcipitur. Deniq; illis ad pietatem, nobis ad quæſtum transmiſſio deputatur. Illi ſobolem præferunt, omnibus mercibus cariorem, nos mercem longe imparem ad periculi vicem miſerâ lucri cupidine reportamus. Itaq; illi patriam repetunt, nos relinquimus. Illis natando incrementum generis acquiritur, nobis minuitur navigando.

Cœpturo itaq; vere ampla ſatis *Harengorum* præda apud nos agitur, cœlo præſertim nubilo, pluvio, nivoſo, blandum ſpirante *Zephyro* itemq; *Auſtro*; ut aliquot laſtæ aliquando retibus incluſæ obſerventur: ſudo & ſereno cœlo inſidiæ tenſæ declinantur: quemadmodum etiam, dum mare ventis iraſcitur, *Euro* præſertim *Boreaq;* furentibus, ima maris, ut tranquilliora, *Harengi* petunt, & quod, excepto *Ellope*, qui ſquamas ad caput verſas gerit, piſces ad venti rationem ſe accommodent, ſemperq; adverſum undas & fluctus natent, caveantq;, ne vento ſecundum caudam incidente ſquamæ disjunctæ corpus nudum exhibeant, idq; dolore afficiatur, ut teſtatur *Plutarchus lib. de ſolertia animalium pag. m.* 979. Obſervavi tamen iiſdem ventis leniter ſpirantibus cælô obſcurô, aut imbrido, greges *Harengorum* cumulatisſimos ſe effudiſſe ad oſtia fluviorum oraſq; maris, atq; ſic captos. Quamprimùm aer tepeſcere, ac ranæ coaxare occœperint, vertunt ſe retro, repetuntq; Oceanum relictâ his locis fœturâ, quæ proximis menſibus nondum adulta capitur, breviq; poſt, impatiens jam dulcium aquarum, in Oceanum dilabitur, ubi parvo tempore ad juſtam magnitudinem excreſcit; quod & in aliis piſcibus obſervari memorat *Ariſtoteles lib. 6. hiſtor. animal. cap. 17.* Firmant *D. Baſilius Magnus & D. Ambroſius locis allegatis.*

Credo *Harengos* hyeme ſummâ, quum mare maximâ undarum ventorumq; tempeſtate furit, cæterorum piſcium more fundum maris petere, quod ibi minus tumultuum ſit, minuſq; frigeant illic abditi, ut de piſcibus teſtantur *Ariſtoteles lib. 8. hiſtor. animal. cap. 15. Ælianus lib. 9. de animal. cap. 57. Plinius lib. 9. cap. 16,* & de *Harengis* Oceani Germanici *Vincentius in ſpeculo natur. lib. 18. cap. 30 ex Authore de nat: rer: Olaus Magnus lib. 20. §. de nat: Halecis pag. m. 536. Camdenus in Britannia pag. 586.* eos locis *Septentrionalibus* in profundo maris ac

ſpeluncis hyeme aſperrimâ latere, confirmant. Genitali vero horâ excitos loca magis commoda petere, & ad vaſta littora *Norwegiæ*, *Scotiæ* vicinarumq; inſularũ fœturam deponere arbitror, quod mare ad *Septentrionem* dulcius ſit, & nutriendis fœtibus magis aptum: mox invitante aëris verni clementiâ auſtrina loca tractatusq; magis temperatos affectare (quod & cæteros piſces facere præter *D. Baſilium Magnum* & *D. Ambroſium recitatus locis Ælianus* author eſt,) & paſtu brevi refectos opimam prædam fieri piſcantibus.

Ancipitem heic me cura tenet, cum *Harengi* ſemel in anno, & quo dixi tempore, parere credantur, certâ tamen obſervatione conſtet, eos ad *Scaniam* vergente jam autumno Venere quotannis exolvi; quod idem menſe *Septembri ad Angliam* in loco, quem *het* Doggers Zand vocant, contingere obſervatur, vacuis tum meatibus, quibus lacteus ſuccus ovaq; continentur, & affectis atq; exuccis *Harengis*, opſonandæ infimæ plebi propterea relinquendis. *Belgæ* ydel Hareng/ noſtri holl Hering/ nominant. An biferos dicemus *Harengos* deſertâ priori ſententiâ, qua ſemel in anno partu expediri hos piſces aſſerrum?

Equidem patrocinandũ veritati, quæ ſemel quotannis in cenſum Veneris referri hos piſces teſtatur. Ad *Septentrionem* locis dictis, imminente vere, *Harengos* pleroſq; coitu laxari conſtans fama eſt, eosq; proximis ſeptimanis geniturâ exhauſtos, macilentos, neutiquam conditaneos, ac ſolis piſcibus capiendis utiles, eſſe certum; niſi qui ſerius ſubducti fuerint: quos tamen è latibulo nuperrimè prodeuntes pinguiores eſſe decebat, ut longâ quiete opimatos, ſententia *Ariſtotelis lib. 8. hiſtor. animal. cap. 15.* Ut eâ de re apud fœderatos *Belgas* interdicto cautum ſit, ne qui ante 24. *Junii* parandæ ſalſuræ piſcatũ abeant. Quin iiſdem *Harengis*, qui lautiſſimi omnium circa feſtum *D. Johannis* ſtyli *Juliani* ſalluntur, modica admodum fœturæ rudimenta ſunt; inter quos tamen nonnullos plenos offendunt, ovis ac genitali ſucco diſtentos, ſigillatim propterea condiendos, cum ad ſuavitatem cæterorum non accedant, aliis uſibus rei familiaris deſtinatos: quos ſerotinos autumno in arenoſo loco, *het doggers Zand* appellato, fœturam exonerare veriſimile eſt; quòd multò pauciores ſint, nec copiâ cum prioribus conferendi: inter quos etiam lætos ac ſucciplenos reperiunt, necquicquam Venerem autumnô expertos, ſeorſim pariter ſallendos

lendos, cæteris de genere iſto ad hyberna properantibus. An inenarrabili proprietate ac differentia Harengorũ id evenire dicem⁹, an locorum peculiari natura, atq; *eſſe quoſdam ad conceptum impetus, ut terræ*, authore *Plinio lib. 24. hiſtor. nat. cap. 24.* ſic & maris? Namq; *iiſdem piſcibus non iiſdem locis degentibus, nec coeundi ferendive tempus eſſe idem, nec fœtificandi, aut proficiendi*, prodidit naturæ animalium Clariſſimus interpres *lib. 6. hiſtor. cap. 17*, ut *Proteo* vel *Nereo* è profundo maris emergente arcana piſcium didiciſſe videri poſſit, arbitratu *Athenæi lib. 8. deipnoſoph: p. 352.*

Duo *Harengorum* genera *Scaliger* ponit *exercit: 226. ſect. 1.* puſillum, quod *Anchioam Genuenſem* vocant *Picentes*, & majus *Sardinæ* propius. Ego etſi ſumma *Harengorum* genera eorumq; differentias, tanto maris tractu diffuſo piſce, in exquiſitam contemplationem, aut in jus vocare nequeam, tria tamen ut potiſſima proponam, *Majus*, quod immensá copiá in *Oceanô Germanicô* vagatur, vulgò & propriè appellatum der Hering: idq; magnitudine adeo variat, ut in *Scotiâ* & quibusdam *Norvvegiæ* oris *Harengi* duplo grandiores *Flandris* reperiantur, ſed multò ſtrigoſiores; in his locis capti ad *Flandrorum* magnitudinem fere non accedant.

Minus ejusdem fere cum priore ſaporis, ſed pinguius paulò, & vaporari commodiſſimum, quod *Harengis* permixtum apud nos capitur, eisdemq; admodum ſimile, niſi quod pro corporis proportione latius ſit, & ventre extantibus ſquamis ſubaſpero; Noſtri Breedling vocant; *Sardiniam* & *Sardinam Latini*, *Sardinam* & *Sardellam Itali*; *Angli Sprot*, niſi me conjectura fallit: unde & *Anglorum Sprot Harengi ſobolem & quaſi pullum* nominat *Joh: Iſacius Pontanus lib. 1. diſquiſit. hiſtor: cap. 14. p. m. 74.* & P. *Bellonius de la nature & diverſite des poiſſons lib. 1. Chap. 14.* in locum *Sardinarum* ac *Celerinorum* ſubſtituit noſtratis *Harengi* iconem: quemadmodum & *Geſnerus Sardinas* inter *Harengorum* genera reponit *lib. 1. de piſcib. fol. m. 3.*

Tertium Suecicum, mediæ inter utrumq; magnitudinis ſoli *Sueciæ* vernaculum, quod *Olaus Magnus in epitom. lib. 20. de piſcibus §. de naturâ Halecis*, *Halec Bothnicum*, vulgus *Stroemling* appellat: quod ingenti copiâ, quæ toti *Arctoo* Regno ſatis ſit, ſinu *Bothnico*, & quà in mare *Balthicũ*

is ſe latè effundit, incolæ piſcantur; ut, eodem *anthore, funes retium aliquando ſcindere oporteat.*

In *Succiâ, Finlandiâ, Eſthoniâ,* magno terrarum tractu, qui *Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Reginæ Sueciæ*, CHRISTINÆ, *Principiũ omni ævo incomparabilis(quæ fulgore ſuarum virtutũ univerſum orbem occupat: quam*

——— ——— ——— vix poſteritas

Tardè ſemper credula credet,)

Imperio ſubiacet, *Harengi* non offenduntur, compenſante eorum defectum *Stroemlingo*, piſce, ſi recens ſit, ἰυσόμῳ, carne candidâ, tenerâ, molli, ac *Harengi* magis friabili & ſicciore: qualis ſaxatilium (à petris, in quibus ſtabulantur, ſic dictorum *Colũmell. lib. 8. cap. 16.*) medicis in ſumma commendatione eſt. Sallitus magis exuccus eſt, & infra diguationem *Harengorum*, pari cum *petræis* ſorte, quos ad ſalſuram minus aptos *Galenus* cenſuit *3. aliment: facult. cap. 41.* Quod quæ admodum mollem, aut valde ſiccum & minime excrementoſum habent corporis habitum ad ſalſuram ſint incommoda; Sal enim cum corporum, quibus admovetur, humores ſuperfluos tenuet atq; digerat, & præterea corpora cogat in ſe atq; condenſet, accidit, ut corpora ſicca ſallita coriis evadant ſimilia; & quæ immodica humiditate diffluunt, ſalis commercio colliquentur docente *Galeno loco adducto; Aetio lib. 1. cap. 49. Iſaaco Iſraelitâ lib. diætar: particular. cap. 50. & 51.*

Quod vero jejunum ac ſemper vacuum inteſtinum *Stroemlingus* habeat, ut *Olaus Magnus* credit, procul à vero eſt, qui heic & in *Harengo* ſibi imponi egregiè paſſus; ut, qui recentem exenterarunt, affirmant.

Non ſorex adeo ſe proprio indicio prodit, ut *Harengi* ſuam præſentiam glomerati teſtantur, oculis pariter & vicinis ſquamis noctu adeo relucentibus, ut totum mare fulgore illo quaſi igne coruſcare, &, motu ac reflexu agminis *Harengorum*, quaſi fulgura excitari videantur. Noſtri den Heringsblick vocant. Qui relucentium oculorum ſplendor in defunctis aliquot dies durare obſervatur. Ita *Saltus Hercinius* aves gignit, ſi *Solino Polybiſtori* fides adhibenda *cap. 32*, *quarum pennæ per obſcurum emicant & interlucent, quamvis obtenta nox denſet tenebras.* Et de *Dactylis* è concharum genere, ab humanorum unguium ſimilitudine ſic appellatis *Plinius lib. 9. nat. hiſtor. cap. 61.* ſcriptum

ptum reliquit: *eis naturam, in tenebris remoto lumine alio fulgore clarere, & quanto magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atq; etiam ſolo ac veſte, decidentibus guttis.*

Lari quoq;, quos *Belgæ* Jan van Gent / noſtri Mewen vocant, conſpectis in maris ſuperficie *Harengis*, quos Beyl Haring vocant, inhiantes prædæ ſuâ frequentiâ greges *Harengorum* prodere dicuntur: quod tales *Harengi* noctu nitidioris argenti inſtar ſplendere, atq; agmina cæterorum comitari ſoleant: quorum gratiâ retia ſua ſeptuaginta plus minus pedes, ut *Dn. Tulpius* refert, in profundum piſcatores demergunt, prioribus intactis.

Præterea *bellua quædam marina, à nautis* Hille/ *& Olao Magno Helius vocata, quæ invitiſſima conſpicit Harengos retibus implicatos, quaſi malleo ferit navem, monitura nautas, ut elevent retia jam ſatis repleta, quò ipſa fiat illorum piſcium compos, qui deinde nautarum manus effugiunt*, ut in literis ad me datis meminit *Vir Exellentiſſimus, Dn. Nicolaus Tulpius.*

Author de natura rerum, ut ex eodem deſcribit *Vincentius in ſpeculo nat: lib. 18. cap. 30. Olaus Magnus epitom. lib. 20. de piſcibus, & Ulyſſes Aldrovandus lib. 2. de piſcibus cap. 10. Harengos*, ubicunq; ſuper aquas in mari lumen viderint, gregatim adnatare, atq; hoc aſtu, dum ad retia dictis, id eſt certis, temporibus alliciuntur, quaſi paratos ad capiendum divino munere in uſus hominum deduci memorant. Quod tamen artificium, ut ineptum atq; alienum à piſcantibus, in Scaniâ & in noſtro littore deſitum adhiberi, quod abſterreri potius *Harengorum* greges autument: cum ſplendore nivis aut fulgetri perterriti retrocedant. Apud *Hollandos* quoq; id commentum in deſuetudinem abiiſſe refert *Dn. Tulpius*: *qui tamen eodem teſte ſubinde intempeſtâ nocte accendunt ignes, quibus commonefaciunt ſocios ſuos, ſe ob turbidius mare piſcatione deſtituros, ac proinde ipſorum intereſſe, ut circumſpectius ſe gerant, ne ab inopinato lucentium navium interventu retia ipſorum quid detrimenti capiant. Truttis* tamē *cancrisq;* fallēdis nocturnos ignes adhiberi memini.

Harengus aquæ dulcis indignantiſſimus eſt, breviq; emoritur, niſi ſalem injeceris: quanquam nec tum quidem diu ſuperet. Vivum tamen ultra horam aſſervari vidi: cum temere poſitus & aliis *Harengis* compreſſus curru per integrum miliare, ſed hyeme, transportaretur: contra quàm cenſet *Geſnerus lib. de piſcibus fol. 5. Harengum*

gum vivum extra aquam ne quidem conſpici; ſed ſtatim,ut aeris ſerena contigerit,expirare, nec ullam moram eſſe inter contactum aeris & expirationem, ut ex *Authore de natura rerum Vincentius in ſpeculo naturali,Ulyſſes Aldrovandus,Olaus Magnus locis adductis* confirmant.

Dum hæc ſcribo ſubit animum recordatio piſcis, quem indifferentis penè cum *Harengo* ſimilitudinis Nobiles in *Pomeraniâ Muranam*,nullâ,nec quidem minimâ,cum veterum murænis cognatione, rectius *Harengum* lacuſtrem appellaverint, ſapore jucundo & ſatis tenerâ carne,niſi ſi locus,cum lacuum piſcinarumq; indigena ſit,ſuſpectam bonitatem ejus faceret. *Harengum* primo intuitu jurares, ſed piſcis magis ſquamoſus eſt,linea per totum corpus porrecta, corpore minor,magisq; depreſſo;quamvis ad juſtam *Harengi* magnitudinem in*Marchiâ* excreſcere,ſaleq; condiri mihi retulerit *D.Gothofredus Acidalius*,familiaris meus, Vir multâ morum elegantiâ atq; eruditione eximiâ, qui ex *Illuſtriſſimi ſui Domini*, DN. JOACHIMI ERNESTI,*Ducis Schleſvvici,Holſatiæ,&c.Principis, togâ ſagoq; inclyti*, vivariis harum*Muranarum* copiam mihi fecit. Captas *Harengorum* inſtar pipire celeriterq; expirare tradunt.

CAPUT IV.

De Harengo pipiente, nectamen reſpirante.

PIſces omnes vocis expertes notum: unde & proverbium natum: *magis mutus,quàm piſcis.* Et *Sophocles in Aiace flagellifero* piſces ἔλλοὺς,id eſt,mutos nominavit,

> ἔφηκεν ἐλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν
> *Peſtem immiſit mutis piſcibus.*

Sic teſte *Athenæo lib. 7. deipnoſophiſt, pag. 308.* piſces ἔλλοπες Poetis dicuntur,quod voce careant,quaſi ἴλλοπες. Eſt enim ἴλλεσθαι, εἴργεσθαι, ὄψ autem vox. Nec enim pulmonem,neq; tracheam,neq; guttur habent,inſtrumenta formandæ vocis. Hinc *Pythagorici* modicè aliis anima-

animatis veſcentes, quædam etiam ſacrificantes, ſolos omnes piſces ne guſtant quidem, quia ſilentium colunt, divinum quid exiſtimantes taciturnitatem, ut eodem loco arbitratur *Athenæus.* Qua de re pluribus *Plutarchus lib. 8. ſympoſ: quæſt: 8.* Quo in loco ut & *lib. de cap: ex inimic: util. p.* 91 fertur capturam piſcium emiſſe *Pythagoras*, ac captos dimitti juſſiſſe. Sonos tamen ſtridoresq; quosdam emittere obſervavit *Ariſtoteles lib. 4. hiſtor. animal. cap. 9.* in *Lyrâ*, & *Chrome*, in quibus quaſi grunnitus. *Aper* etiam piſcis, quem *Achelous* amnis gignit, vocalis habitus, & *Erica* & *Cuculus*: alter enim ſtridet quodammodo, alter perinde ut *Cuculus* avis obſtrepit, unde nomen accepit. Confirmat *Ælianus lib. 10. de nat: animal. cap. 11.* Ut qui omnes piſces ſilentii condemnant, eos mutos affirmantes, ii in eorum naturâ indocti ſint & rudes. *Exocætus*, circa *Clitorium* vocalis traditur, &, quod admirationem auget, ſine branchiis. *Harengus* reti extractus, & in lembum conjectus, aut manu compreſſus, pipit, quod & *mytuli* noſtri facere audiuntur, ut & *Harengi lacuſtres*, ſeu *murænæ* ſpuriæ, aquis elatæ.

Qui omnes piſces creditam illam vocem emittunt, aut attritu branchiarum, quas horridiuſculis continent, aut ſuis interioribus, quæ circa ventrem habentur: Spiritus enim incluſus in his eſt, quem dum atterunt, atq; agitant, ſonos elidunt. Sonus enim, attritus interioris ſpiritus eſt. Qua ratione & inſecta animalia, ut *apes*, *muſcæ*, & cætera murmur edunt, quod, dum volant, ſeſe attollant contrahantq;. *Cicadæ* vero membranâ ſepto transverſo ſubditâ, qua præcinctum corpus diſtinguitur, agitatâ attrito ſpiritu canere videntur: qua de re pluribus *Ariſtoteles loco citato.*

Harengus extractus aquâ palpitat, breviq; vitâ defungitur, elemento naturæ ſuæ convenienti deſtitutus, ob magnam branchiarum ſciſſuram: unde *Anguillas*, *Murænas* aliosq; piſces ſerpentinæ ſimilitudinis, quod parvæ illorum branchiæ humoris parum admittant, extra aquam diu poſſe vivere author eſt *Theophraſtus lib. de piſcib: in ſicco viventibus.* Firmat *Athenæus lib: 7 deipnoſoph: pag. 312.* Ut hinc certis nobis eſſe liceat, piſces non reſpirare, cum & pulmonibus careant, & liberiori aeri illati moriantur. Docuit idem pluribus *Ariſtoteles lib. de reſpirat: cap. 2. & 3.* adverſus *Democritum*, *Anaxagoram* & *Diogenem*,

nem,qui *πάντας ἰχθύας ἀναπνεῖν* tradiderunt,ut & *Plinius lib.9.nat: hiſt: cap.7.* adductis rationibus invalidis, piſcium æſtivô calore anhelatione,& tranquillô velut oſcitatione, bullantium aquarum ſufflatione,penetrante vitali halitu in aquas & terras quoq;, tanto ſpiſſiorem naturæ partem; quem & auditus odoratusq;, uterq; ex aeris materiâ genitus,atteſtetur,& quod nullus ſine reſpiratione ſomno locus. Piſces enim ut impensè frigidam aquam non tolerant, & prægelidâ hyeme ſpeluncis conduntur,teſte *Ariſtotele lib.8.hiſtor.animal.cap.15. Æliano lib. 9. hiſtor. animal. cap. 5. Plin: lib. 9. hiſtor. nat: cap. 16*, ita tepidâ flacceſcunt,atq;,elemento ſuo adverſus propriam naturam immutato,ſumma petunt,& refrigerari deſiderant: quorum aliqui fervoribus maximis imis aquis æſtus impatientiâ abſconduntur: quò tamen aer confertim,ut per ſumma aquarum,non penetrat. Bullæ vero in ſublime feruntur, expulsâ per branchias aquâ,quæ cum alimento, (ut docet *Ariſtoteles lib. de reſpiratione cap. 11.*) aut alias copioſior recepta fuerat. Aeris quoq; in aquas penetratio ut his retentandis neceſſaria,& odore atq; auditu piſcium demonſtratur; ita reſpirationem eorum non evincit; cum aqua & aer ſimul hauriri nequeant authore *Theophraſto libr: de piſcibus in ſicc: degent*: quod & experientia confirmat. Pariter nec ſomnus neceſſitatem reſpirandi piſcibus adfert: cum hyſtericæ mulieres ſine ullâ reſpirationis ſignificatione vivere aliquot dies obſervatæ fuerint,& ſomno, quantum irrorando cordi aquæ ſufficit, leniſſimo branchiarum motu, recipi poſſit.

Galenus noſter ſuperiori ſententiæ aſſenſiſſe videri poteſt: etſi enim *lib. 6. de uſu partium cap. 9.* ſtatuat, piſces naturâ frigidiores, quàm ut ipſorum cor magnâ indigeat reſpiratione;(quod præter alia ex ſanguinis paucitate cognoſci ibidem refert, unde aquatilia multo ſanguine prædita & calida, ut *Delphinus*, *Vitulus*, *Balæna*, reſpirare eidem dicuntur) *relato* tamen *loco* branchias crebris & tenuibus foraminibus recipiendo aeri & vapori pervias ſcribit, ſed ita ſubtiles,ut hæc admittant,aquæ molem ut craſſiorem repellant. Ego cum *D. Baſilio Magno homil:7.Hexaemeron pag.67. et D. Ambroſio lib: 5. Hexaemeron cap. 4*, cognatione aquarum cum piſcibus ratione primæ eorum originis aquas in piſcibus idem, quod in animalibus terreſtribus aer,

præſta-

præſtare credo: quum intercluſo aere illos in ſicco brevi animam edere videamus. Ut n. pulmo rarus ac fiſtuloſ9, quò ventilando cordi aerem hauriat ac reddat, dilatatur & conſtringitur; ita & branchiæ ſeſe pandunt ac comprimunt, quò refrigerãdo cordi congenerẽ aquam accipiant atq; excludant. Quarum conſtructio in piſcibus vice pulmonis eſt, ut docet *Galenus loco jam adducto. Confer Ariſtotelem lib. de reſpirat: cap.* 10. *D. Ambroſ: lib. Hexaemeron lib. 5. cap. D. Baſilium magnum Homilia* 7, *Hexaemeron*.

Non diffiteor piſces quoſdam ἐπαμφοτερίζειν, atq; ambiguæ eſſe naturæ, non propter cibum, ſed quod aerem & aquam iiſdem inſtrumentis, non tamen eodem tempore, hauriant, ut de *Exocæto*, ἀπὸ τῆς κοίτης ſic dicto, quod in ſiccum ſomni causâ exeat, referunt *Theophraſtus lib. de piſc: in ſicco deg: Plinius lib. 9. hiſtor. nat. cap.* 19, & ex *Clearcho Athenæus lib.* 8. *Deipnoſoph: p. m.* 332, item de *piſcibus Indicis*, qui ex fluviis terram petunt, ſaliunt, rurſusq; in aquam redeunt, & de piſcium genere circa *Babylonis* rigua decedentibus fluviis in cavernis manente *Theophraſtus eodem libro*, *Plinius libro allegato cap.* 57. *Eos inde exire ad pabula pinnulis gradientes, crebro caudæ motu, contraq; venanteis refugere in ſuas cavernas, & iis obverſos ſtare : capita eorum eſſe ranæ marinæ ſimilia, reliquas partes gobiorum, branchias ut cæteris piſcibus.* Quos omnes peculiaris eſſe naturæ, atq; modicâ ſaltem refrigeratione indigere author eſt *Theophraſtus* : qua de re & branchias anguſtas tales piſces habent, ne aer confertim irruat, ut in *murænis* & *anguillis* aliisq; piſcibus videmus, qui in ſicco diutius morari perhibentur.

CAPUT. V.

Harengum non ſimplici maris aqua vivere demonſtrat.

ICONEM *Harengi* heic apponere ejusq; figuram graphicè deſcribere ſupervacaneum exiſtimo, ut notiſſimi: illud, tanquam ſingulare, memoratu dignum, ab *Alberto Magno, Olao,*

Magno, *Geſnero*, *Deodatô lib. Hygiaſt: cap. 41. pag. m. 386.* relatum: *Harengum* nullos inteſtinorum anfractus, unum modo ductum rectum habere, cumq; ſemper inanem: ut qui alimentum, ſi quod recipit, rectà ſtatim exoneret. Quæ ratio etiam *Anthori de natur. rerum* apud *Vincentium in ſpeculo nat:* & *Aldrovandum*, item *Olao Magno lib. 20. de piſcibus §. de nat: halecu*, *Rondeletio lib. 7. de piſcibus cap. 16.* perſuaſit, ut crederent, *Harengum* nullis cibis veſci, ſola aquà marinâ contentum: quemadmodum & *Apuas* ſpuma maris naſci, marinaq; aqua ſuſtineri *ἁλιευτικῶν* ſcriptores prodidere: ut hinc præſtantia piſcis æſtimari poſſit, viventis ſolo ac puro elemento. Unde *Actor*, ut *Vincentius in allegati operis lib. 18. cap. 30.* recitat: *Fertur allex ex puro aquæ elemento vivere, ſicut ſalamandra ex igne.*

Quorum opinioni ſi quis opponat, ſimplici elemento nullam ineſſe aut generandi aut nutriendi vim; is ſimul fateatur neceſſum eſt: nullam aquam ſimplicem atq; adeo puram eſſe, ut non terræ quid permixtum habeat; maris vero cum ſalſa ſit & gravior, ab illa ſimplicitate declinare, multumq; alienæ ſubſtantiæ, ſalſæ cumprimis, permixtum gerere. Etenim, ut loquitur *Ariſtoteles lib. 2. meteorolog. cap. 3.* aquæ craſſitudo corpulentiaq; tantam afferre differentiam poteſt, ut navigia æquo rerum, quæ convehuntur, onere preſſa, in amnibus fere demergi videantur, in mari modicè ſeſe atq; ad navigandum peropportune habeant, Et *Plinius lib. 2. hiſt. nat. cap. 103.* marinas aquas, quarum natura gravior, magis invecta ſuſtinere teſtatus. Quin ut confeſſum aſſero, multo plura animantium genera, multoq; fœcundiora in mari degere, quàm in terra. *Ut vera credatur vulgi Romani opinio: quicquid naſcatur in parte naturæ ulla, & in mari eſſe, præterque multa, quæ nuſquam alibi*, ſententiâ *Plinii lib. 9. hiſtor. nat. cap. 2.* Hinc Venus ex mari genita Poetis dicitur, ut commentô iſtô maris almam fertilitatem ſignificarent: qui & marinos Deos fœcundos, & multorum liberorum parentes fecere, teſte *Plutarcho lib. 6. ſympoſ: queſt. 10.*

Debet id ſali mare, quo perfuſum penitus eſt: quod ad generationem maximè facit, & acrimonia ſua titillando ignavam Venerem ſuſcitat: ut propterea natura in homine alterum vaſorum ſpermaticorum præparantium fabricata à venâ emulgente juxta ſini-

ſtrum

ſtrum renem diduxerit,*ut acorem quendam hauriret*, *appetitum coeundi ſcilicet,irritantem eo modo, quo ſub cute genitus acor pruritum facit*, ut loquitur *Nemeſius Philoſophus,lib.de nat:homin:cap.27.*

Quin & cælo pluviisq; mare fœcundari videmus, cauſis genitalibus è ſublimi,ut notat *Plinius libro & capite citato.* Piſcibus enim, exceptis paucis quibusdam, imbres conducere author eſt *Ariſtoteles lib. 8. hiſt. animal. cap. 18. & 19*, ne ventorum conſpirationem fertilitati maris plurimùm conferre prolixius demonſtrem.

Equidem cum ſimplex aqua herbarum,quæ innaſcuntur, vires bibat,quid mirum,ſi mare ſale perfuſum copioſiſſimo,ſubjectæ terræ, plantarum ac herbarum illic copiosè naſcentiũ virtutes aliquatenus in ſe recipiat, & nutriendo certo piſcium generi ſufficiat. Ergone terræ nutriendi vim ſoli deferemus : cum & *Thriſſas, Cyprinos* , *&c.* ſimplici limo & vivere,& pingueſcere,in piſcinis videamus,ubi nullæ aut raræ herbæ,mare vero illâ penitus ſpoliabimus ?

Nec obſtat *ἄτροφον τὸ ἁλμυρὸν* dici *Theophraſto lib. 6. de cauſ: plant:cap.14.* Loquitur enim de terreſtribus plantis, quibus dulcium aquarum rigua proſunt teſte *Plinio lib.19 nat.hiſtor.cap.* 11. Cæteroquin univerſum mare quot arbores aut plantas nutrit ? Dulci citra dubium humore,qui in ipſo mari continetur : quem per vas cereum ſeparari docuit *Ariſtoteles lib.2. metorolog. cap. 3.* quo etiam piſces in mari ali tradit *Ælianus lib.9.nat: animal. cap. 64*, ex ſententia *Ariſtotelis,Democriti, Theophraſti & Empedoclis.* Ita *Plinius loco relato raphano,betæ,cunilæ*, peculiarem medicinam in ſalſis aquis ſtatuit : quæ & alioqui plurimum ſuavitati & fertilitati eorum conferunt. *Palmam* quoq; & *Lentiſum* ſalſis aquis ali ſcribit *Plinius lib.* 17.*nat. hiſt.cap.28*, & *Theophraſtus lib.2. de cauſ.plantar:cap.7.* plantas quasdam commodius ſalſis humoribus ali memorat : *palmis* ſiquidem ſalem exaggeratum unicè prodeſſe,& in olerum genere ab humoribus ſalſis *braſſicam rutam & erucam* juvari : quæ dum ſalſis aquis rigantur, multo meliores evadunt. *Idem* ex relatione *Androſthenis* de *Tylo*, inſula maris rubri meminit,aquas ſalſas fluentes plus quàm cœleſtes illic juvare tam arbores,quàm reliquum omne genus plantarum,& hinc,agricolas loci illius ſtatim poſt imbrem rivis ejusmodi abluere ſata ſolere,conſuetudinem eſſe.

Hæc aliaq; ſpecioſa argumenta pro maris *θρεπτικῇ δυνάμει*, & *Harengi* ſimplici alimento allegari poſſent, ni *Harengum* aliorum piſcium inſtar viſcera habere certum eſſet, atq; ex his inteſtinum, ſuperiore parte amplum & bifurcatum, (quod utriculus, in acutum deſinens & incurvus, ſit annexus) circa quod plurimæ venarum apophyſes hærent, non perpetuo vacuum, ſed cibis ſæpe diſſertum: ut aliquando ultra ſexaginta ſquillas gibbas, ſed minores, in uno numeraverim, & ex iis multas, cœptâ coctione jam tabeſcentes. In Venere jam defunctô adeo diſtentum inteſtinum quidem non offendi, ſemiplenũ tamẽ ovis aliorum piſcium, vel ſuiſmet ipſius; quod interdum & genitali albo ſucco diffflueret: ut, quod de oviparis piſcibus prodidit *Ariſtoteles lib. 5. hiſtor. animal: cap. 5*, in propriam fœturam *Harengum* ſævire credam, maximè dum Venere languidus & exhauſtus cibos duriores non ſuſtinet. *Namq; tempore coitus*, verba ſunt laudati Authoris, *fœminæ mares ſequentes maſculorum ſemen vorant, ventremq; eorum roſtris percutiunt. Quò etiam fit, ut mares ſemen & celerius fundant, & largius. Tempore autem partus mares fœminas ſequentes, quæ illæ ova ediderint, ipſi mordicus vorant: piſces vero ex iis, quæ remanſerunt, oriuntur.* Cæteroquin *Harengus*, explendis genitalibus meatibus, oviſq; formandis, quæ brevi tempore maturantur, ut ventrem inſigniter diſtendant, valentiores cibos, *muſcum*, *algam, ſabulumq;* minutiſſimum ingerit, *Harengus* enim celeri incremento adoleſcit, ut de eodem *Dn. Tulpius* aſſerit, & de aliis piſcibus, præſertim, qui in *Ponto* degunt, affirmat *Ariſtoteles lib. 6. hiſtor. animal: cap.* 17: & ex eo *Athenæus lib. 7. deipnoſoph: p. 308.* Errorem vero iſtum de perpetuâ inteſtini inanitate inde manaſſe exiſtimaverim, quod *Harengi* non niſi exenterati ſali committantur: unde eos vacare inteſtinis, ſolumq; argenteum ductum, quem animam vulgò vocant, ſemper vacuum, habere quibusdam perſuaſum; cum etiam locis à mari remotioribus *Harengorum* recentium nulla ſit copia.

CAP. VI.

De Harengi elixatione.

HArengus aut recens elixus atq; aſſus in cibum venit, aut ſallitus, aut fumo paſſus: unde, pro variâ apparatus condimentorumq; differentiâ, qualitates alias accipit, alias perdit. Quidam in ſimplici aquâ addito ſalis modico, eum coquunt: qui modus maximè vulgarius, ſed commendatus; quòd, ſi fervens ab igne apponatur, ſolus, & intinctus aceto, palato ſit ſuaviſſimus, nec minus ſalutaris. *Homini ſiquidem cibus utiliſſimus ſimplex, acervatio ſaporum peſtifera, & condimenta pernicioſiora*, ut ſentit *Plinius lib.* 11. *hiſtor. nat. cap.* 53. Et *Athenæus lib. 8. Deipnoſoph: pag.* 357. *Simplicius quodvis conditum opſonium coquitur facilius, ſed præcipuè ſaxatilis piſcis, non ad voluptatem, ſed ſimpliciter & incurioſè præparatus.* Hinc *Galenus* 3. *alim: fac.cap.*30. pingues, lentos ac duros piſces *ſinapi* atq; *origano* indigere judicabat, non vero *paſſeres*, *ſoleas*, piſces ſuaves & mollioris carnis (quorſum & *Harengum* refero) quos πετραίοις *Athenæus loco dicto* ſimiles cenſuit. Scilicet ingenita bonitas, & rara in guſta gratia horum piſcium, nullâ emendatione, nulliſq; offuciis ſaporum indiget; cum illi ſine condimentis nec placeant, nec innoxiè fere comedantur.

Pleriq; ſic elixum cum embammate ex *aceto* & *raphano* mandunt: ita tenerrima ſubſtantia, quæ facilè corrumpitur, *aceto* cogitur, nimiaq; humiditas ab utroq; abſorbetur. Acutus enim & ſalſus ſapor pro condimento ſunt, ut docet *Ariſtoteles lib. de ſenſ: & ſenſil: cap.*4, & *acetum Attici*, quamvis ſolum ſit, condimenti ſpeciem eſſe autumant, authore *Athenæo lib.* 2. *Deipnoſoph: pag.*67. Cauſſas condimentorum tradidit *Ariſtoteles loco proximè allegato*, διὰ τὸ ἀντισπᾶν τῷ λίαν τρόφιμον εἶναι τὸ γλυκὺ καὶ τὸ ἐπιπολαστικὸν, *ut retrahant dulce, quod nimium alit, atq; innatat*: paulo enim ante omnia dulci vel ſimplici, vel commixto, nutriri probaverat. Hinc *Avicenna lib.* 1. *fen.* 3. *Doctr.* 2. *cap.*7. *Scire præterea debes, quod dulce nutriens rapit naturam, antequam matureſcat & digeratur, & corrumpit ſanguinem.* Unde dulcia, *Oribaſius lib.*4. *ſynopſ: cap.* 23. lieni & hepati obſtructo, *Celſus lib.* 4. *cap.* 9. lieni inimica, & *Avicenna loco laudato* obſtructiones facere, dixerunt:

quæ etiam bili flavæ materiam ſuppeditant, teſte *Oribaſio lib.* I. *euporiſtôn cap.* 26.

Quod ſi aquæ vinum affundere placeat, quod *Gallis* & ad *Rhenum* accolis in coctione piſcium per quàm familiare, ne ſic quidem perdes ſuaviſſimi piſcis ſaporem, quin luxurians, piſcibusq; vernacula, humiditas in *Harengo* magis ſiccabitur. Alii *butyrum* addunt, *macis, Zinziberis piperisve* parum, ut ſuſpectum humorem abſumant, ψόφους ex eo natos diſcutiant, ventremq; roborent.

Quidã *Harengum* alioſq; piſces cum *flore lactis* coquunt, delicato guſtu, ſed minus ſalubri alimento: quod piſcium nimia humiditas in corruptionem ſponte prona, lacte, tam brevi corruptibili, affuſo ſit metuenda; etſi adjectis aromatibus noxa aliquammodò ſoleat emendari. Unde *Avicenna lib.* 1. *fen.* 3. *Doctr.* 2. *cap.* 7. *Experimentatores Indi & alii jam dixerunt, quod lac cum rebus acetoſis edendum non eſt, neq; piſces cum lacte: quoniam inde ad ægritudines pervenitur permanentes ſicut lepra.* Imò nec caſeum raſum cum *Diocle* apud *Oribaſ. l.* 4. *coll: c.* 3. (qui tamen *caprilli* recentis & odorati parum admittit) ob viſciditatem, quæ in piſcibus ſi adſit, vitio datur, pro condimento generoſiſſimi piſcis afferri velim: qua conditura etiamnum pleraq; fercula *Italos* inquinare memini; quã & in iiſdem, ut & *Siculis, Archeſtratus*, ὁ τῶν ὀψοφάγων Ἡσίοδος ἢ Θέογνις improbavit apud *Athenæum l.* 7.

Οὐ γὰρ ἐπίστανται χρηστοὺς σκευάζειν ἰχθῦς,
Ἀλλὰ διαφθείρουσι κακῶς, τυροῦντες ἅπαντα.
Nobiliſſimos piſces illi quidem condire neſciunt,
Sed malè corrumpunt, caſeo farcientes omnia.

Ferventi vero ac ſallitæ aquæ *Harengi* immittendi ſunt: quod aliàs curioſis coquis in more poſitum, & à medicis mandatum, ſuam rationem habet. *Oribaſius lib.* 4. *collect. cap.* 9, piſces ſic paratos ſucci pleniores eſſe, & proprium ſuccum in ſe retinere autumat. Confirmant *Avicenna lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 553. *Et melior, ait, ipſorum decoctio, ut coquatur aqua donec ferveat, & deinde projiciantur in eam. Iſaac Iſraelita lib. diætar: univerſal: cap.* 6. *Si quilibet piſcis coquinandus erit, juſculum ſuum cum aromatibus parvis decoqui debet & calido et bullienti apponatur piſcis. Hoc enim ſaporoſiorem reddit, & ſanguinem laudabiliorem facit.* Denſatis ſcilicet & coactis fervore piſcibus humidum

corum

eorum interius non tam facilè eliquatur; quod alias in elixatione fieri teſtis eſt *Ariſtoteles lib. meteorolog. cap. 3.* Qua de re etiam luculento igne *Harengi* coquendi, quò melius deſpumentur, & ne lento leniq; calore ingenitam ſuavitatem in affuſam aquam deponant.

Sed nec nimia aqua eſſe debet, in qua *Harengi* effervescunt, ne exquiſita gratia copioſiore humido penitus diluatur. Cæteroquin in aliis piſcib⁹, qui viroſum ſapiunt, melius fuerit copioſam affundere aquam, &, factâ ebullitione, eandem abiicere, novamq; ſubſtituere, in quâ plenius coquantur, quò gravem ſaporem penitus exuant, ut monet *Galenus 3. alim. fac: cap. 32. & ſeq.* & in *Sepiâ, Polypode*, & id genus aliis piſcibus fieri jubet *Athenæus lib. 8. deipnoſoph: pag. 357. Igneus namq; blandus calor cum humore adbibitus illis tanquam pro lotura eſt.*

Illud quoq; ut apprime utile ac jucundum, obſervari meruit, ut piſces calidi, & tantùm non ab igne ferventes comedantur: ita enim & damnata frigiditas piſcium caſtigatur, præſenti calore noſtrum ἔμφυτον roborante: quemadmodum in illis, qui ventriculum ex δυσκρασίᾳ refrigeratum queruntur, eſculenta & poculenta actu calida à medicis laudantur. *Avicenna loco citato omnem piſcem recentem comeſum, dum eſt calidus, augere in coitu* dixit. *Idem lib. 4. fen. 6. tract. 2. cap. 10.* frigidos piſces maximè improbavit. *Ex piſcibus frigidis*, ait, *& propriè poſitis in loco humoroſo accidunt accidentia fungorum, & quandoq; non apparet aliquid uſq; ad unum diem aut duos.* Quem ſequuntur *Santes Ardoynus lib. 4. de venenis cap. 8. Matthiolus comm: in 6. libr: Dioſcor: cap. 34.* & *Paulus Jovius de piſcibus Rom. cap. 12.* ubi de *Synodonte* conciſo in fruſta, ſemicocto, multo croceo & perſpicuo gelu condito ex *P. Aponenſi lib. de venenis* refert: *piſces ſemel coctos aſſervatosq; præſertim vaſorum concluſis operculis, mortiferam qualitatem acquirere, mandentesq; certo veneno interficere.* De qua de re inferius.

Quod ſi guſtus arbitrium conſulamus, profectò *Harengi*, ut & cæteri piſces calentes manifeſtò gratiores palato iisdem refrigeratis, qui tum fatuum ſapiunt. Qua de cauſſa & lurconibus fervidorum magna ſemper fuit exiſtimatio, ut patet ex *Anaxandride Ulyſſe* apud *Athenæum lib. 6. deipnoſoph: pag. 227,* ubi piſcatorem introducit de artis ſuæ operâ ſic gloriantem:

Αὐτὴ

Ἀυτὴ δὲ σεμνῶς ἐκ λοπάδος ἁρπάζεται,
Ἀπὸ τοῦ ταγήνου τ' ἐυθέως ἀφανίζεται.
Ἐπὶ τίνα δ' ἄλλην τέχνην ὦ χρηστὲ σὺ
Τὰ στόματα τῶν νεωτέρων κατακάεται.
Illa vero reverenter ex patinâ diripitur,
Vel de ſartagine confeſtim diſparet.
Propter quam aliam artem, ô bone,
Ora juvenum comburuntur?

Et *Philoxenus*, altiſſimus nepotum gurges, qui referente *Athenæo lib: 1. deipnoſoph: pag. 6.* & *Ariſtotele ſect. 28. problem: quæſt: 7.* collum gruis à Diis, aut ut *Athenæus* refert *lib. 8. deipnoſoph. pag. 341*, tricubitalem gulam, ſibi dari optaverat, quò prolixior cibi potusq; voluptas foret, cum coquis & opſonatoribus paciſci ſolebat, ut omnia calidisſima menſis inferrent. *Pithyllus* quoq; manicas & digitalia indutus cibis veſcebatur, ut in os miſerrimus popino eos quàm calidiſſimos ingereret, teſte eodem *Athenæo loco adducto.* Quin apud *Romanos* quoq; exquiſita voluptas fervidorum fuit: unde *Seneca lib. 4. quæſt: nat: cap. ult: Ardentes boletos & raptim condimento ſuo merſatos demittunt pene fumantes.* Et *Epiſt. 95. Quid? illa purulenta & quæ tantum non ab ipſo igne in os transferuntur, judicas ſine noxa in ipſis viſceribus extingui?* Quo fine & foculus olim appoſitus menſis, interpres *Ariſtophanis in Acharnenſibus* ἐσχάρας ἄρυλαν vulgò nominari ſcribit. Quò ſpectat ejusdem *Senecæ* inluſtris locus *Epiſt. 78. Quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum eſt, ipſos cum opſoniis focos transferentium. Hoc enim luxuria jam commenta eſt: ne quis intepeſcat cibus, ne quid palato jam calloſo parum ferveat, cœnam culina ſequitur.*

Paraſitus Plautinus quidem *in Perſa act. 1. ſcen. 3. murænam & congrum* calefieri vetat: quod

nimio melius oppectantur frigida.

Ubi non de primâ coctione piſcium loquitur, qui æſtuantes adhuc multò refrigeratis ſapidiores; ſed pridie coctos denuo efferveſcere diſſuadet, ut minus gratos. Quamvis famelicus *Saturio*, differri tantillum temporis cibatum, ægerrime ſuſtineret. *Salmonem* aſſulatim conſciſſum, pridie coctum & in eodem jure, ne nigreſcat, aſſervatum, frigidum convivis apponi uſus, ſed improbus, obtinuit; quod

multò

multò ſuavior ſit in fruſta majora ſeu κύβια diſſectus, calensq; ab igne oblatus; præterquam quod ventriculum minus offendat. Quidam tamen cocto ac refrigerato *Harengo* poma minutim conſciſſa addunt, affuſo deſuper aceto, paraturi opſonium, quod novitate & ſaporis peculiari gratiâ plerosq; invitare poſſit.

Ante omnia vero *Harengi* ſint recentes, qui, ut *Senecæ* verbis utar *lib. 3. nat. quæſt. cap. 18. ſapiant ipſum mare*, quod tum ſcitiſſimi ſint ſaporis, nec longùm durare queant, carne tenera, molli & humida, ac propterea putredinem brevi ſuſceptura. Hinc in ſolertiſſimâ illa luxurie ſapientiores *Romani* ſub ipſis menſis rivos manantes habebant, ex quibus extractos piſces ſtatim coquerent, ac hoſpitibus apponerent: quò ſpectaculo tam amœno oculos, ciboq; gratiſſimo ventrem convivarum oblectarent. Conſtat illud ex *Senec. lib: 3. nat. quæſt. cap. 17. In cubili natant piſces, & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam. Idem capite ſequenti ejuſdem libri. Ad hunc faſtum pervenit venter delicatorum, ut guſtare non poſſint piſcem, niſi quem in ipſo convivio natantem palpitantemq; viderint.* Quæ etſi de *mulli* expirantis verſicolori varietate dicta videantur, in aliis tamen piſcibus eadem gratia quæſita, ut quam recentiſſimi apponerentur. Hinc ſcitiſſimus *Arbiter* deliciarum *in ſatyr.*

——— ——— *Siculo Scarus æquore merſus*
Ad menſam vivus perducitur.

Et apud *Plutarchum lib. 4. ſympoſ. quæſt. 1. σήμερον ἀκτάσομεν, hodie in acta cœnabimus*; quod cœna in littore eſſet jucundiſſima futura, ob piſcium variorum, &, ut ſic loquar, muſteorum ubertatem. Ἀκτὴ enim littus *Græcis* eſt, aut regio maritima: unde *Vergilius lib. 5. Æneidos*

At procul in ſolâ ſecretæ Troades actâ
Amiſſum Anchiſen flebant.

Hinc *Acte* dicta eſt *Attica* ſecundum *Apollodorum*, quod multa ejus pars ſit maritima. Et *Plinius lib 4. nat. hiſtor. cap. 7. Ab Iſthmi anguſtiis Hellas incipit, noſtris Græcia appellata. In ea prima Attica, antiquitus Acte vocata.*

Heliogabalus quidem ad mare piſcem nunquam comedit, in longiſſimis à mari locis omnia marina ſemper exhibuit, monſtrum

hominis,& perdendis imperii opibus natum: qui quod rarum eſſet, & magno veniret pretio,ſolùm magnificum arbitrabatur, *orexin convivio hanc eſſe* aſſerens. Idem piſces ſemper quaſi in marinâ aquâ cum colore ſuo coctos conditurâ venetâ;blauw abgeſotten/comedit, ut teſtatur *Ælius Lampridius in Heliogabalo.*

Sed ut quò digreſſus redeam, *Harengus* elixus, nullis aliis aromatum ἀρτύμασι,ſolo ſale,eoq; moderato,conditus, frigidum & humidum alimentum corpori præbet,ut cæteri piſces omnes ex ſententiâ *Galeni lib. 6. de uſu part. 9. Pauli Æginetæ lib.* 1. *de re med. cap.* 90, *Actuarii de ſpir. anim.nutrit.cap.7. Avicennæ lib.* 2. *tract.* 2: *cap.*55 3. *Iſaaci lib. diætar.partic. cap. de piſcibus, Symeonis Sethi περὶ δυνάμεων τροφῶν* litt. I. Eam ob rem aromata levandis flatibus, aut acetum roborando ventriculo,& ne mollior ſubſtantia in putredinem abeat, aliaq́; ſaporis gratiâ commodiſſime adduntur: qualia condimenta propoſita fuere à *Galeno* 3.*alim. fac.cap.* 31. Vinum quoq; ab eſu *Harengi* iiſdem cauſſis præ cereviſiâ utiliter ſuperbibitur, juxta vulgarem verſum:

Defunctis vinum,ſed da viventibus undam.

Sunt tamen & in piſcibus gradus dictarum qualitatum, quod loco proximè relato *Avicenna* fatetur; ut, ſi guſtu cum ratione arbitranda ſit temperies *Harengi,* eum plerisq; piſcibus minus frigidum exiſtimem,& in eo ſymmetriam in mixtione elementorum exquiſitam,qualis ulla aliorum piſcium eſſe poſſit,ſtatuam, carne ejusdem tam tenerâ,molli, delicatâ, tetri ac viroſi odoris ac ſaporis innoxia, ſuaviq; moderata pinguedine toto corpore diffluente, quæ temperata ſuâ naturâ eſt, authore *Actuario lib.2. cap.* 24. & ſanguine copioſo, quem,dum penitus exenteratur, ubertim profundit: quo ſigno in temperamentum piſcium penetrabat *Galenus* 6. *de uſu part. cap.* 9. *πολυαίμονε* piſces calidiores profeſſus,reliquos ſanguinis penuria frigidos. *Harengum* quoq; paullo magis humidum affirmaverim: quod celerrimè elixus brevi in ventriculo coquatur, rurſusq; per alvum abſcedat, ſecus quàm faciunt durioris carnis piſces Quin & ſalitura *Harengi* humidiorem ejus naturam arguit,cæteroquin ad eandem incommodi,ſi ſiccioris naturæ foret, ut *Galeni* authoritate jam aſſerui. Non tamen quis *Harengi* carnem nimis humidam & propterea excrementitiam cum *Schonveldio lib. de piſcibus tit. de Harengis* exiſtimet:

met: quod pretioſus ejusdem ſapor diverſum probet, quæ & ſaliuræ impatiens foret, & ex facili liqueſceret, ut *Galenus* exemplo porcellorum *3. alim. fac. cap. 41.* confirmavit.

Non quidem tenero quorundam palato exquiſitiſſimi ſaporis delectum præripiam; illud tamen auſim aſſeverare, *Harengum* recens captum, ſucculentum ac lætum (qualis apud nos *Decembri* ac *Januario* obſervatur) ad generoſum *truttarum* ſaporem, quæ in gelidiſſimis alpium torrentibus degunt, & cæteris omnibus piſcibus ab *Athenæo lib. 8. deipnoſoph. p. 358.* præferuntur, proximè accedere. Noſtræ enim *truttæ*, ob pinguedinem & lentorem ut magis ſuſpectæ, ita ſucci bonitate meritò poſthabendæ *Harengis*.

Concoctu quoq; facilis *Harengus* eſt, ob carnem tenerrimam, quæ vel à modico calore digeratur: coctio enim, quæ in ventriculo, hepate, & quæ in ſingulis partibus alendis aſſimilatio fit, in mollioribus facilius, in durioribus ægrius efficitur authore *Hippocrate lib. de affect. p. m. 528.* ut & *Oribaſio lib. 1. collect. cap. 52.* Ἐύογκος præterea eſt, qui ventriculum non diſtendat: quo ſenſu *Athenæus lib. 8. deipnoſoph. pag. 358.* piſces ſaxatiles eſſe ἐυόγκους καὶ πέψεσθαι ταχέως dixit. Brevi quoq; iisdem de cauſis per alvum abſcedit: ut propterea athletis, aliisq; qui magnis laboribus atteruntur, leviſſimus hic cibus ſolidum ſufficere alimentum nequeat. Unde *Raſes lib. 25. continent: de regim: cibi & potus cap. 1. p. m. 503. Cibaria quæ tenuem generant ſanguinem meliora ſunt in durabili conſervatione ſanitatis: tamen non præbent ſuſtinentiam laboris neq; vim: ſed groſſa ſunt è converſo.*

Sanguinem tenuiorem *Harengus* præbet, (contentione factâ cum eo, qui ex pedeſtribus animalibus generatur) qui non adeo copioſè nutriat, & celerius diſcutiatur, maximè tamen proſit: conſiſtentiâ ſcilicet medius inter admodum tenuem & aquoſum, qui venâ effuſus non coeat, & inſtar picis admodùm craſſum: qualem ex pelagiis piſcibus, ei qui ex optimo pane & perdicibus provenit proximum, generari autumat *Galenus 3. alim. fac. cap: 26.*

CAPUT VII.

Argumenta ſingularis bonitatis Harengi proponit.

HEic mihi attentos velim,&,curioſô guſtu adhibito, explorare,qui principis piſcium exiſtimationem temere ſuggillare auſi,annon electiſſimæ bonitatis piſcium omnes & ſingulas notas exactè referat,recenſitas à medicis aliisq; rerum naturalium peritis, nè dicam deliciarum culinarium arbitris ? Carnem enim extra controverſiam teneram, mollem & friabilem *Harengus* habet; qualis etiam in ſaxatilibus,primæ notæ piſcib⁹ *à Galeno lib.de atten.vict. rat. c.8.& lib.de ſucc; bonit: & vitio cap.3,* item *3.alim.fac.30.Oribaſio lib: 3.collect.cap 2.Aetio lib.2.de re med.cap.138.Ægineta lib.1.cap.90.Cornelio Celſo lib: 2.de re med. cap.18, Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. 553.* aliisq; commendata.Alimentum enim quod ex talibus provenit,non modo ad concoquendum eſt facile, ſed hominum corporibus etiam ſaluberrimum authore *Galeno 3.alim:fac.cap.28,Oribaſ.lib.2.collect.cap.51. Friabilitas ſiquidem & mollities duæ notæ ſunt, ut cujusq; carnem cognoſcas, quibus intentus eam carnem,cui ineſſe utramq; conſpicies,ad ſatietatem usq; poteris comedere. cui neutram,ejus uſus circumcidendus omnino : cui alterutra tantum,eâ, cum aliæ tibi non ſuppetant, aliquando veſci, non tamen ad ſaturitatem usq;,*ut ex ejusdem *Galeni loco allegato de atten:victus rat:* repetit *Oribaſius lib: 3. collect. cap. 2.* Sic *Aſellorum* caro mollis quidem, ſed non æq; ut ſaxatilium friabilis : *Mullorum* friabilis quidem eſt, non tamen mollis. Friabile autem nihil aliud eſt, quam continuum,quod facile diſcretum fieri poteſt : lentum, quod tractu & compreſſione diſſipari ac diſiungi facile nequit,ceſſione vincens non reſiſtentiâ,ut definit *Scaliger Exercitat. 299. ſect.3.*

Profectò, qui adeo *Harengum* criminantur, mollis ac teneræ carnis piſces,μαλακοσάρκους dictos, ad quorum cenſum *Harengus* ſuo merito referendus,noxiæ arceſſant neceſſum eſt : quos tamen ſaxatilibus ſimiles eſſe *Athenæus lib.8. deipnoſoph.pag: 357.* dixit,ſed humidiores ; viribus tamen reficiendis, ejusdem ſententiâ, ἀπόλαυσιν πλείω affer-

afferre, alvumq; magis & urinas ciere : ut *Turdos, Merulas*, qui alias inter ſaxatiles piſces numerantur, μαλακοσάρκοις ibidem adſcribat. Quemadmodum & tales piſces, *ſoleas* ſcilicet, *paſſeres*, *aſellos*, qui puro mari utuntur, *Galenus 3. alim: fac. cap. 30, Oribaſ: lib. 2. collect. cap. 51. Aetius lib. 2. cap.* 142. laudant, &, niſi locorum vitio improbi facti, hominibus exercitatione non utentibus, otioſis, imbecillibus & ægrotantibus aptos eſſe dixerunt.

Ex his vero mollis carnis piſcibus majores eligendos volebat *Schola Salernitana, lib. de conſerv: valet. cap. 30. de piſcibus*: cujus verſus ab Ampliſſimo Dn. CÖLERO, *Conſule*, tum recitari memini.

Si piſces molles ſunt, magno corpore tolles,
Si piſces duri, parvi ſunt plus valituri.

Quales etiam *Iſaac Iſraelita lib. diætar. univerſal: lect. 49. fol. 90.* in iſto genere præfert. Et *Avicenna authore lib. 2. tract. 2. cap. 553, Eligitur quidem ex piſcibus duram carnem habentibus ille, qui eſt minor: & ex habentibus mollem carnem, qui eſt major ad terminum aliquem. Quod horum nimia humiditas in adultis conſumpta ſit, illorum ſiccitas in junioribus ætatis beneficio temperetur*, juxta *Actuarium lib: de ſpir. animal. nutr. cap.* 7. Qua de re & *hædorum* carnes *agninis* medici præferunt : quod *hircorum* caro ſicca in tenera ætate humore minus diffluat ; contra quàm agnellorum, quæ tota mucoſa eſt, ovibus etiam ætate provecta excrementitio humore circumfluentibus, ut docent *Galenus 3. alim: fac. cap. 2. & lib. 8. meth. med. cap. 2. Oribaſius lib. 1. euporiſt. cap. 21. Avicenna lib. 1. f. 2. doctr. 2. cap. 15.* In *Harengo* recenti mirum quantum major guſtus gratia minori iisdem cauſſis præpolleat : modò non ſit naturâ ſuâ nimis grandis, aridus & ſtrigoſus, qualis *Bergenſis* & *Scoticus* : quem tamen nondum penitus adultum lautiorem judico.

Dum autem μαλακοσάρκους piſces laudo, non μαλάκια *Ariſtoteli lib. 5. hiſtor anim. cap. 12 & 18, Athenæo lib. 8. deipnoſoph. Galeno 3. alim. fac. 35. Oribaſ. lib. 2 collect. c. 51, Plinio* verò *lib. 9. hiſtor. nat. c. 20. et* 28. *mollia* dicta intelligo ; piſcium ſcilicet genera, quæ neq; ſquamas neq; aſperam neq; teſtaceam cutem, ſed mollem, qualis humana eſt, habent, ut *polypus ſepia, lolligo, &c.* Hæc quidem tangentibus mollia videntur, duræ tamen carnis ſunt, difficulter concoquuntur, & exiguum ſalſum ſuccum in ſe continent : ſi tamen concoquantur, corpus non

parum nutriunt. Cæterum hæc quoq; plurimum crudi ſucci generant juxta *Oribaſium lib.2.collect.cap. 55. Aetium tetrabibl. 1.ſerm. 2. cap.146,* ex *Galeno 3.aliment.fac.cap.35.* Adulta tamen μαλάκια,& corpore grandiora meritò damnaverim, ut ad concoquendum magis obſtinata,duriore ob ætatem facta carne. Venerem excitare *Athenæus* memorat,ob flatuum copiam, quos ad diſtentam libidinem requiri autumat: ego ſalſo eorum ſucco, qui partes genitales irritet, deferre malim, ſuccoq; lento, ſemini analogo, quem copiosè fundunt: qualem ex conchyliis ſuccedaneum venere exhauſtis præſtari experientia demonſtrat.

Proximum bonitatis *Harengi* argumentum, à loco, in quo degit,petere licebit: namq; medicorum decreto pelagici piſces qui in vaſto mari verſantur,fluviatilibus, & multò magis lacuſtribus præferuntur,*Hippocratis* ſcilicet *lib.de affect.pag. m. 529. Galeni lib. 3. alim. fac.cap.29. & lib.de ſucci bon: et vit. cap. 9.* quòd odore ſint inculpato & guſtu ſuaves,pinguedine nulla aut minimâ, *Aetii lib.2.de remed. cap. 134,Oribaſii lib:3.collect.cap.15. Avicennæ lib.2.tract.2. cap. 553* Et *C. Celſo lib.2.de re med. cap.18.levior piſcis,qui in alto, quàm qui in vado vixit.* Ut iidem piſces in mari capti,ejusdem ſpeciei piſcibus,qui ex mari ad oſtia fluviorum aut lacus, præſertim cœnoſos,tranant, præferantur arbitratu *Aetii libro & capite allegato,Galeni 3.animal.fac. cap.25. & 29. Actuarii lib.de ſpir.anim: nutrit: cap.7. Iſaaci Iſraelitæ lib: diætar: univerſ.cap.59. lect.48.* Marinos enim piſces, qui in aperto mari degunt, ventis agitato, cum fluctuum verbere validè impellantur,& ipſi motu continuo, dum quærendæ alimoniæ, aut belluæ vitandæ, totum mare pererrant,exerceantur, carnem teneriorem habere certum. Ignavia ſiquidem corpora torpida reddit, & recrementis exaggerat: motus vero validior calorem innatum ſuſcitat, &,quicquid περιττωμάτων intus hæret,digerit & evacuat. Inluſtre in piſcibus exemplum propoſuit *Seneca lib.3.nat: quæſt.cap.19,* & *Iſaac lib. diætar: particular.fol.147.* cujus poſterioris verba placet apponere,ut authoris minus vulgaris. *Fuerat,ait,quidam locus artificiosè factus,cujus longitudo erat 250. brachiorum, latitudo vero 200, ejusq; ſordicies ſemper ſpacio decem dierum purificabatur,nonnunquam viginti: quâ purgatione factâ per duos annos dimiſerunt multo temporis intervallo illotum: unde multis ranis*

fuit

fuit repletus, ſordicie etiam nimiaq́ putredine : tandem per ſolitum foramen eo mundificato, invenerunt multa genera ibi piſcium, qui adeo erant craſſi & viſcoſi, & lubricativi, ut manibus nullatenus poſſent teneri, mox etiam ut à lacu exierant, moriebantur : quorum viſcoſitas & lubricatio fuerant ex putredine & ſordicie, ipſius lacus: unde poſtquam coquebantur, nullo modo poterant manducari propter putredinem et horribilitatem odoru & ſaporu eorum.

Quin & alimenti purioris ubertas, quod in vaſto mari cuiq; piſcium generi ſat eſt, laudabilem ſuccum & gratiſſimi ſaporis carnem ſufficit : cum qui ad oſtia fluminum aut ſtagnantibus lacubus, in quos mare ſe effundit, piſces vivunt, atq; cœnoſis alimentis ſuſtinentur, guſtu inſuaves ſint, minusq́; ſalubres aliis ejusdem ſpeciei, in alto degentibus. Addit *Iſaac loco adducto lect.*49. rationem, cur marini aliis piſcibus præferantur, quod aqua, quam incolunt, calidior & minus naturaliter humida ſit, quâ exiccari noxiam illorum humiditatem arbitratur.

Hæ cauſſæ ſunt, cur noſtri *Cyprini*, quos vulgò *Carpiones*, ſed falſò vocamus (*Carpio* enim lacus *Benaci* in *Italia* ſingularis piſcis, quem & in *Danubio* reperiri author eſt *Caſſiodorus*, niſi me fallit memoria,) inter laudatiſſimos piſces cenſeri nequeant. Etſi enim carnem mollem & guſtu ſatis ſuavem habeant, ut propterea in nuptiis *Lubecenſibus*, etiam honoratioribus, autumno & hyeme, quo tempore horum præcipua dignitas eſt, (vere enim & æſtate *Salmonem* ſaporis ſuavitate nulli piſcium ſecundum, & *Acipenſerem*, nobilem, & apud Romanos vel ſecundo bello *Punico* celebrem, quem Sammonicus Serenus tempore *Severi Principis* à coronatis miniſtris cum tibicine introferri ad epulas ſolitum narrat apud *Macrobium lib.* 2. *ſaturnal. cap.* 12, unde *Martialis lib.* 13 *Xen.*88.

Ad Pallatinas Acipenſem mittite menſas,
Ambroſias ornent munera rara dapes,

Hamburgo delatos noſtri præferunt) convivis apponantur : viſciditas tamen adjuncta derogat eorum exquiſitæ bonitati : quod hæc *Cyprinis* naturalis ſit ; quæ etiam in iisdem piſcibus, lacubus incluſis, minusq; exercitis, & limo nutritis, magis obſervetur. Nam qui ruptis procellarum vehementiâ aggeribus ex piſcinis in *Travam* ſe effundunt, poſteaq; capiuntur, ſaporis præſtantiâ cæteros de grege iſto

multò maximè poſt ſe relinquunt. Quod idem in *Luciis*, *Percis*, aliisq; piſcibus, harum rerum curioſo cognoſcere licebit, eos omnes palato magis adblandiri, magisq; ſalutares eſſe in *Trava* captos, aliis ejusdem ſpeciei in piſcinis, ſtagnis, & ipſo lacu *Raceburgenſi*, qui tamen *Vacneſo* recentatur, prope noſtram urbem interceptis, ſoli atq; alimentorum bonitate, aquarumq; perpetuo decurrentium perenni motu: ut, qui in ſuperiori *Trava* ad *oppidum Oldenſchlo* capiuntur, palmam excellentiæ etiam noſtris præripiant.

CAPUT VIII.

Harengi pretium ex peculiari ſaporis gratiâ oſtendit.

PОrro ſcitiſſimus *Harengi* ſapor, in paucis piſcibus comparandus, inluſtri argumento pariter eſſe poterit exquiſitæ bonitatis, ut voluptas convicta conceſſura ſit *Harengi* gloriæ: quemadmodum qui putidum ſapiunt piſces à medicis improbantur, *Galen.* 3. *aliment.fac.c.*30. *Iſaaco lib.diæt.particul. cap: de piſcibus, Avicenn: l.* 2. *tr.* 2. *cap.*553, *Hippocrate lib.* 2. *de vict. rat. pag. m.* 357. *Oribaſio lib.* 4. *collect. cap.*15. *Harengus* profectò, niſi ſuprema ſatietas, quæ pretioſiſſimis rebus ſuam gratiam detrahit, faſtidium fecerit, ſuaviſſimô guſtu meritò commendatur; præterquam enim quod carnis teneræ ac delicatæ, totus ſuccoſus eſt ac mollis, ſuaviſſimamq; pinguedinem toto corpore diffuſam habet, omnis viroſi odoris ac ſaporis expertem: quod in piſcibus loco adducto unicè probavit *Avicenna*, *eosq; melius nutrire* dixit *lib.* 1. *fen.* 3. *doctr.* 2. *cap.* 7. *pag.* 176. *Oportet te ſcire* (verba ſunt authoris) *quod nutriens melius eſt, quod melius ſapit. Et dulcem ſaporem eligit appetitus ſanus lib.*3. *fen.* 13. *tr.* 1. *cap.*17. *p.m.* 698. *& tr. de vir. cord. cap.*9. *p. m.* 339. Confer, *Galenum comm:* 3. *in Hippocratem de diæt: acut.text.*11. πάντα γὰρ τρέφεται τῷ γλυκεῖ, ἢ ἁπλῶς, ἢ μεμιγμένως ſententiâ *Ariſtotelis lib.de ſenſ. & ſenſil. cap.* 4.

Non tamen omni tempore, neq; ubiq; eadem *Harengorum* bonitas

nitas mediâ hyeme ſeroq; autumno apud nos optimi ſunt, iidemq; quovis modo cocti aut fumo expoſiti ſingulariter guſtui placent; ſed rariores, ob aeris inclementiam piſcatione impeditâ, & quod intolerando frigore abditi lateant: Ut in piſcibus obſervavit ſummus naturæ animalium ἑρμηνεὺς *lib.8.hiſtor. animal.cap. 15.* Quo tempore eos magna ex parte eſſe ſuaviſſimos laudatus Author teſtatus. *Capi ex his nonnullos tempore ſui ſeceſſus* ait: *cum ſe moveant locis tepidis; aut ſi temporis inſolitæ quietes contingant. Prodeunt enim aliquando de ſuo cubili paſtum, & præcipuè plenilunio. Idem libro citato cap. 30,* piſces fere omnes bonos cenſuit ἀρχομένους κυΐσκεσθαι, luxuriante per totum corpus ſuaviſſimo ſucco, quem coitus manifeſtò abſumit. Verno tempore exhauſtis penitus meatibus, quibus lacteus ſuccus ovaq; continebantur, (teſtes enim piſces non habent, ut expreſsè docuit *Philoſophus 1. gener: anim: cap.6,*) flaccida & exucca plane *Harengorum* caro eſt, ἀχυρώδης & minus ſuavis; quod & *luciis, percis* aliisq; piſcibus iisdem cauſſis evenire guſtus arbiter docet. Multum certe humidi radicalis Venere perit animantibus: ut ea de re ὀχευτικὰ καὶ πολύσπερμα brevi ſeneſcere *Idem Author* dixerit *lib. de longit. & brevit. vit. cap. 5.* Et *Avicennæ* teſtimoniô *lib. 3. f. 10. tract. 1. cap. 11. Coitus evacuat de ſubſtantiâ ſpiritus rem plurimam, propter delectationem: & propter illud, qui plus delectantur, plus ſunt cadentes in debilitatem. Et coitus quidem velociter facit pervenire illum, qui plurimum eo utitur, ad infrigidationem ſui corporis (cauſſa ſui) & reſolutionem caliditatis innatæ, mortificationem virtutis,* &c. Ut non mirum ſit, *Harengos* delicatulis aliisq;, quorum exquiſitum in guſtu palatum, tum minus placere, ſed quaſi proſcriptos explendis pauperum ac famulorum lactibus relinqui, cum vili admodum conſtent.

Sed nec eadem omnibus annis *Harengorum* bonitas: quod & cæteris piſcibus accidit, & ichthyopolarum & ſalſamentariorum teſtimoniis confirmatur. *Piſcium genus maxima ex parte annis pluviis bene vivit: ita enim non modo plus cibi nanciſcitur; verum etiam omnino pluvio humore juvatur, ut ea quæ terra gignuntur: quod in oleribus, arundinibus etiam in lacu prognatis evenit. Et cum bene hominibus annus cedit, tunc & piſcibus feliciter degere contingit* ut docet *Ariſtoteles lib: 8. hiſtor. animal. cap. 19.* Cujus authoritas magni ſemper æſtimanda, ut ſum-

mi in omni doctrina viri:namq; *Alexandro Magno inflammato cupidine animalium naturas noſcendi , delegataq; hac commentatione Ariſtoteli, aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciæq; tractu parere juſſa , omnium, quos venatus,aucupia piſcatusq; alebant,quibusq; vivaria , armenta , alvearia,piſcinæ,aviaria in cura erant : ne quid uſquam genitum ignoraretur ab eo*,ut tradit *Plinius lib.8.hiſtor.nat. cap. 16.*

Locorum quoq; diverſitas plurimùm variare *Harengi* pretium ſolet ; quâ in re *Archeſtrato* aliquo opus foret , qui voluptatis ſtudio univerſam terram omniaq; maria impigrè luſtravit ; quod diligenter examinare ventris delicias is ſtatuiſſet,ac eorum inſtar , qui terrarum deſcriptiones & circa illas navigationes ſuis ſcriptis mandarunt, exactè omnia vellet explicare,ubi præſtantiſſima ſint edulia,ut de eo meminit *Athenæus lib. 7. de deipnoſoph: pag. 278. & lib. 3. deipnoſoph: p.116 Schleſvvici* ſaporis eximii *Harengi ſunt* : quibus nihilo inferiores *Stralæſundenſes* : ab his *Roſtochienſes*, mox *VViſmarienſes* ; ultimum locum *Lubecenſes* occupant,ob fundi ſterilitatem:pleraq; enim mari nata heic minora,magisq; ſtrigoſa,ut in *ſquillis, aſellis, ſcombris* experientia confirmat. Ut verum ſit,quod *Olaus Magnus* refert : *Harengum* ſæpe duorum aut trium milliarium intervallo meliorem aut deteriorem eſſe. Non dubito *Harengos* ad *Norvvegiam* , & in freto *Danico*, maximè verò in *Oceano Germanico* ad *Magnam Britanniam* captos omnibus aliis præſtare : cum ſalliti multo ſint lautiores , & *levior piſcis ſit qui in alto , quàm qui in vado vixit* authore C. *Celſo lib. 2. de re med. cap.* 18. Quos ſi recentes , & adhuc marinam aquam ſtillantes, nec dum effœtos,in jus vocarent, qui tantopere gloriam noſtri piſcis infamarunt,non dubitarem, quin conſcientiâ pretioſiſſimi guſtus poſthac dignitati *Harengorum* eſſet patrocinaturi.

Notavit hanc piſcium ex locis differentiam *Ariſtoteles lib. 5. hiſtor. animal: cap.11. in fine. Deniq; latere non decet, ut ſtirpium & quadrupedum animantium generi plurimùm intereſſe ex regione, non ſolum ad cæteram corporis felicitatem,ſed & ad coitum partumq; ampliorem : ſic in piſcium quoq; ratione locis ipſis diſcrimen plurimum oritur , non ad magnitudinem tantùm habitumq; vegetiorem, verum ad coitum etiam & partum: ut eadem alibi ſæpius generent, alibi minus.*

CAPUT

CAPUT. IX.

Harengi bonitatem ex pinnis ſquamisq; arguit.

NOn dicam de *Harengi* magnitudine mediocri: quam & pro ſigno melioris notæ piſcium medici referre ſolent, *Avicenna* cumprimis *lib. 2. tract. 2. cap. 553*, quod vaſtæ molis piſces fere duram & concoctu contumacem carnem habeant: minimi vero piſciculi, & qui cum ſpinis comeduntur, brevi fere corrumpantur, flatusq; coctionis tempore gignant teſte *Athenæo lib. 8. deipnoſophiſt. pag. 357*. Nam coctio inæqualiter cum peragatur, quia caro valde celeriter coquitur, ſpinæ vero tardius, ac vix diſſolutæ conficiuntur, præſertim *Aphyarum*, quæ naturâ ſpinis abundant, alterius coctionem alterum interturbat: qua de cauſſa in ejusmodi coctione flatus excitantur, alimentumq; humidius eſt. Nec pro laude *Harengi* ex *Athenæi eodem libro ac pagina* adducam, piſces gregatiles inter quos *Harengus* principem locum ſibi vendicat, ob pinguedinem in cibo gratos eſſe, & ad ſalſamenta maximè idoneos, optimumq; ſalſamenti genus ex illis parari.

Ultimum *Harengi* ſingularis bonitatis argumentum à pinnis ſquamisq;, quibus obtegitur, accipiam: quæ à S.S. Divinâ Majeſtate pro notis conceſſorum piſcium populo *Iſraelitico Levit: cap. 11. verſ. 9, 10, 11, 12*, & *Deutoronom: cap. 14. verſ. 9, & 10*, fuere propoſitæ: quas medici quoq; in laudatiſſimis piſcibus requirunt. Bina ſiquidem pinnarum paria (præter duos alios paraſtatas in dorſo ac ſub ventre poſitos, qui piſcem librent in mediis undis: quemadmodum & veſica ad ſpinam dorſi extenſa, ut in aſellis aliisq; piſcibus marinis, quò corpus ſublevet in mari, facilemq; natatum præbeat) *Harengo* data, ùt velocius earum remigio, quò velit, trajiciat, ſeu belluæ immineant, ſeu paſtus è longinquo petendus, aliisve de cauſſis ad diſtantiſſima loca concedat. Siquidem pedum vice pinnæ datæ piſcibus dicuntur *Plinio lib. 9. hiſtor. nat: cap. 20*, ut quosdam pinnis incedere ſit obſervatum, & de *Babylonii piſcibus* jam aſſerui. Iſto verò exercitio

torpidum piſcium calorem excitari, excrementa propelli, lentoremq; carnium atteri extra controverſiam eſt: ut propterea ejusmodi piſces à medicis laudentur, *Galeno lib.8. meth. med. cap.* 2, quod excrementoſa ſint omnia, quæ exercitatione carent, C. *Celſo lib. 2. cap.* 18: *quibus etiam propterea omne ferum animal domeſtico levius.*

Squamæ quoq; tenerrimo piſci conveniebant, ne appulſu rei durioris facile læderetur, quæ vicem pilorum in piſcibus præſtant, ut ſentit *Ariſtoteles lib.3. hiſtor. animal. cap.*10, in quas ultimæ coctionis excrementum abſumatur. Terrenam enim portionem natura ad cutem transfert, inq; ejus aſperitatem impendit: quemadmodum in cartilagineis piſcibus, quorum aſpera cutis, id oſtendit *lib.* 4. *de part: animal: cap.* 13. De ſquamis etiam *Actuarius lib. de ſpir: animal. nutri cap.7.p.m.* 31. *Deliguntur à multis piſces, quibus ſquamis oſſibusve obducta cutis, quibus ego porrò fidem adhibeo, quod hoſce diſſimilibus ſiccos magis eſſe exiſtimem. Namq; quod inter humida ſiccum reperitur, commoderatum omnino cenſeri debet: ſicut ſane etiam quod inter ſicca humidum fuerit.* Et *Iſaac Iſraelita lib: diatar: particular: cap. de piſcibus fol.m.*148. *Piſces ſquamas habentes ſunt meliores: ſquama enim ſignificat humorum parvitatem, & aquoſitatis indigentiam: quare natura ſuperfluitates humorum ab interioribus ad exteriora expellit ad nutriendas ſquamas: ſicut animalium natura tertiam finiens digeſtionem exterioribus mandat membris, quæcunq; ſunt convenientia ad nutrimentum lanæ pilorumq; et ſimilium.* Squamas autem *Harengus* tenuiores paucioresq; habet, tam tenerâ, molli atq; humidâ illius carne: quæ ſiccioris excrementi, unde ſquamarum generatio, minimum effundit.

Cùm igitur piſces, qui ſolâ cute obteguntur, pinnisq; carent, ſed flexuoſo corporum impulſu ita mari utuntur, ut ſerpentes terrâ, inertem, putrem, viſcidam & limoſam carnem habeant, locorum, in quibus degunt, natura, motusq; ignaviâ, & quod excrementa ultimæ coctionis in ſquamas non abſcedant, ab illis, tanquam maximè inſalubribus, ut alia myſteria, à *Cyrillo Alexandrino lib.8. in Levit: pag.*699. & *lib.9. contra Julian: pro religione Chriſtianâ, Origene in caput.* 11. *Levit: homilia ſeptimâ, Nicolao Lyrâ in dicti loci comment*: aliisq; fuſius explicata præteream, abſtinere populum ſuum ſuprema Majeſtas volebat.

Harengus etiam cutem ſubtiliorem habet, quæ paullo fortiori ebulli-

ebullitione diſſolvitur, in ſallito & paſſo modicè denſatur: ut & hoc ſigno clareſcat innoxia principalis piſcis natura, in cujus carne nil limoſum, viſcidum ac terrenum offendatur, unde denſa craſſa ac calloſa cutis generari queat: cujusmodi cutis piſces in jus medici adducere, maximè in pravorum ſignorum συνδρομῇ, diſſuadent.

CAP. X.

De Harengis aſſis.

Aſſus quoq; *Harengus* in cibus frequentiſſimus eſt, & apprime gratus, niſi ſi ſolâ copiâ jam gravis fuerit: quod in opſoniis *ſine pigmento ſaporis alieni* (ut *Nonius cap.* 2. §. 70. *in vocabulo Aſſum* loquitur) inſeratur, butyro tamen inter torrendum probè irrigatus. Ad ſanitatem ſic paratus elixo magis prodeſſe videtur, quod, *dum ab igni aſſudeſcit*, ut *Varro* deducit *lib.*4.*de ling. latinâ*, *ſudando aſſum diſtillet*, & luxuriantem humorem abſumat. Ita *Athenæus lib.*8.*deipnoſoph.pag.*357. piſces gregatiles, quos ob pinguedinem in cibo gratos dixerat, aſſos ſalubres eſſe ſubjecit, quòd τὸ πιμελῶδες eorum liqueſcat.

*Ariſtoteles lib.*4. *meteorolog.cap.* 3. aſſa elixis humidiora ſtatuit: quia calor externus, qui in humore eſt, internum eliciat, quem aridum ad ſe trahendo conſervet. Ego cum *Oribaſio lib.* 4. *collect. cap.* 1. §.*ult. Vincentio in ſpeculo nat.lib.*7.*cap.*90, ebullitione humorem internum evocari ut concedo, quod *allii, porri, caparum, meſpilorum, pirorum ſylveſtrium* exemplis confirmavit *Galenus noſter* 3 *alim:fac.cap.* 32, quæ acrimoniam aut acerbitatem in affuſam aquam coctione deponunt; ita adventitiâ humiditate aſſis elixa magis abundare cum celeberrimo authore 2. *alim.fac.ult. cap.*2. cenſeo; aſſa verò ingenitum ſuccum magis retinere, obdurata & calloſa eorum ſuperficie à ſubjectis prunis: quæ tamen non ſemper elixis meliora æſtimanda. Namq; in piſcibus qui duriores & viroſum quid ſapiunt, ut mollium genus,

præfertur elixatio: quod pravus humor inde magis eliciatur, *Igneus namq; blandus calor*, ut ex *Athenæo* jam retuli, *cum humore adhibitus illis tanquam pro lotura eſt.* In aſſis exiccatur vitioſus ille humor: ut propterea carnem, quæ natura ſua durior eſt, indureſcere magis rationi ſit conſentaneum, ſententia *Athenæi loco jam adducto.*

Eſtur *Harengus* aſſus ſolus, ab igne calens, ut multò ſuavior: quòd verſus ex *Athenæo lib. 6. deipnoſoph:* allegatus confirmare videtur:

Ἀπὸ τοῦ τηγάνου τ' εὐθέως ἀφανίζεται

Idem *lib. 4. deipnoſoph: pag. 136, Mormyron & Sparum* σίζοντας, ſtridentes adhuc è ſartagine adductos in cœnâ *Xenoclis* refert. Et *Alexis in Improbâ*, apud *eundem lib. 14. pag. 655*, ὕειον ὀπτὸν καὶ θερμὸν εὐχυλότερον dixit. Alii *piperis* aut *Zingiberis* parum aſpergunt. Quæ conditura ne ſic quidem deſtruet alimenti hujus bonitatem: cum ſuſpecta quibusdam *Harengi* humiditas abſorbeatur; nec caro ejus tenerrima tam facile corrumpi, aut imbecillo ventriculo nocere poſſit. *Succus citri* expreſſus & inſtillatus ut gratiam adfert huic edulio, ita molliorem carnem cogit, ne in intemperato ſtomacho putreſcat. Embamma *ex vino, capparibus paſſulis Corinthiacis*, ferventi deſuper affuſum fatuum guſtum facile ad edendum excitaverit, valetudini non minus profuturum.

Proba ſed paullò tardior, quàm elixi, futura in ventriculo aſſi *Harengi* coctio, abſumpto inter torrendum aqueo humore: unde & ſerius excernitur effatô *Hippocratis 2. aph. 16. Quod, quæ celeriter nutriunt, ocius excernantur.* Confirmat de aſſis piſcibus *Hippocrates lib. de affectionibus pag. m. 529. Iſaac lib. diætar. particular: cap. de piſc. fol. m. 148.* ex *Xenocrate Oribaſius lib. 2. collect. cap. 58*, & *Mulli aſſi* exemplo *Athenæus lib. 8. deipnoſoph. p. 355. Qui eodem libro pag. 357.* ex omnibus piſcibus elixos aſſis alvum magis ducere profeſſus. Qua ratione aſſa probe quidem nutrire, ſed tardius digeri & excerni *Avicenna lib. 1. fen. 4. doctr. 5. cap. 1. & lib. 1. fen. 3. doctr. 2. cap. 7.* tradidit.

Aſſum ſuper craticulà *Harengum*, præſertim ſi grandior fuerit, frixo in ſartagine prætulerim cum *Iſaaco loco adducto*: quod hic oleo aut butyro ſit viſcoſior factus, ille liberiore igne exſudaverit nimium humorem, ut *Mulli* exemplô *Athenæus libro citato pag. 355.* probavit. Quin & authore C. *Celſo l. 2. cap. 18, res eadem magis alit aſſa, quàm frixa.*

Ut

Ut verò ferventi ab aſſaturâ *Harengo* ſingularis gratia, ità refrigerato illa non ſolùm perit, ſed & cibus noxius medicis cenſetur, maximè ſi calens atq; opertus, loco frigido & humido, aliquot dies reponatur, adeò ut deleteriam qualitatem ſic aſſervati piſces induere videantur, cauſſariq; ſymptomata, quæ fungis venenatis comeſis ſuccedere ſolent. *Raſes lib.*8: *ad Manſor: cap.*28. *Cum piſces aſſantur, & infrigidati in loco ſteterint humoroſo, & ſequenti die comeſi fuerint, ſæva accidentia, quæ ex malorum fungorum comeſtione ſolent evenire, accidunt. Idem lib. 1. diviſion. cap.*141. *p.m.*435. *Et piſces frigidi, cum ſupervenit eis unus dies aut duo, et ſunt aſſati, faciunt ſimile illi (ſcilicet noxæ, quæ accidit ex comeſtione aſſaturæ, quæ involvitur, cum extrahitur à furno in re aliqua, & non permittitur evaporare parumper) & cum dimittuntur in loco humoroſo frigido & ſunt ſuffocati: accidit enim ex eis illud, quod accidit ex comeſtione fungorum pernicioſorum ſuffocantium.* Confer *Avicennam lib. 4. fen. 6. tract. 2. cap* 10, *Albucaſin* 2. *particula Azaravii tract.* 2. *cap. de comeſt: piſcium aſſatorum frigidorum. Santem Ardoynum lib.4. de venenis cap.8.* Quæ tamen noxia qualitas hoc authore & experientiâ teſte non indifferenter omnibus piſcibus refrigeratis accidit, ſed illis potiſſimùm, qui naturâ ſuâ mali ſucci, in locis cœnoſis & ſtagnantibus aquis vixerunt pigri & inertes, nec qui recens mactati aſſi fuerint: quos mora aliquot dierum loco uliginoſo ac concluſo tetram labem contrahere ac putreſcere quis dubitat?

Vomitum ſic affectis cieri volunt memorati authores, mox *vinum* cum *pipere*, aliaq; dari, quæ *fungis* adverſari conſtat. *Haly Abbas in regali diſpoſitione 4. practic. cap. de ejus medicina, qui aſſum aut piſcem comedit corruptum,* vomitum laudat ab aſſumptâ aquâ calidâ cum melle & ſale; hinc *vinum meracum cum pipere aut ariſtolochia vel ſocrita*, aut *diamoſchi confectionem* cum aquâ, in qua *cuminum & origanum montanum* incocta, præberi mandat. Ego *Spiritum vini juniperini*, qui digeſtione ex *rob baccarum juniperi* colorem rubini gratumq; ſaporem bibit, itemq; *Spiritum vini cum cort: aurant: deſtill:* cum *Tinct: Zedoar:* commodè talibus dari cenſeo.

CA-

CAPUT XI.

In quo argumenta contraria examinantur & diluuntur.

IN tantâ vero nobiliſſimi piſcium commendatione ſola refragari videtur populi authoritas, *Harengum*, ut noxium, in invidiam falſo crimine adducentis. Cæterum *vulgo neq; judicium neq; veritas*, ut C. *Tacitus lib. 1. hiſtor.* monebat: nec popularis gratia *verò judicio provenit, nec unquam firma perdurat* juxta *Boethium lib. 3. Conſol. phil. proſa 6.* qui eam propterea ne commemoratione quidem dignam putat. Ergone patiemur populum nobis etiam arbitrum fieri ſingularis dilectus ciborum? Quosnam verò ex populo? quos ſingulos (pauciſſimis admodum exceptis, qui rectô judiciô utuntur, ipſasq; res veris pretiis æſtimare poſſunt) ut communi errore jam viſcatos, aut r geſtate adductos, aut genio indulgentes (qui quicquid melius ſapit, optimum judicant, valetudinis cætera incurioſi, quibus etiam ſola ubertas rerum nauſeam parit) ipſe *Doctor Grakius* alimentorum aliarumq; rerum, imò propriæ ſuæ exiſtimationis cenſores recuſabit; omnes verò ſi admiſerit, idem faceret, ut ſi quis ſingulos nummos improbet congeſtum ex his tumulum, ceu probabilem, accipere velit, ut *Socrates* arbitrabatur apud *Diogenem Laertium lib. 2. vit. philoſoph. in Socrate, p. m. 101. Præclarè idem Socrates libro allegato, p. m. 105.* monebat

μὴ κρίνειν ἀρεστὸν λαοδίκῳ σοφίῃ.

Equidem in vero cunctarum rerum cenſu non populi judicio ſtandum: quid enim turpius, quam pretium atq; exiſtimationem earum ac noſtri ipſorum ex inſipientium ſermone pendere? Scilicet in populo πολλοὶ θαυμάζουσιν, ὀλίγοι γινώσκουσιν, ut Divinus noſter Senex *lib. de ſalubri diæta p. m. 347*, de populari ἀφροσύνῃ judicabat. Ut propterea captationem auræ popularis indignam bonis, turpem doctis ſapientes judicaverint. *Veni Athenas*, inquit *Democritus*, *neq; me quiſquam agnovit. Conſtantem hominem & gravem, qui glorietur, ſe à gloriâ abfuiſſe*, ut divinè Cicero *lib. 5. Tuſcul. quæſt.* Confer *Diog. Laert. lib. 9. vit. phil. p. m. 556.* Non, quod deſerendam gloriam cenſeam,

quæ

quæ umbra virtutis etiam invitos comitabitur, ut loquitur *Seneca epiſt.79:* cum etiam *Cicerone* teſte *lib.2. Tuſcul.quæſt.omnia benefacta ſe in luce collocari velint*; ſed quod cum *Seneca epiſtola 7. condendum in animum exiſtimem, ut contemnamus voluptatem ex plurium aſſenſione venientem : cum nullum theatrum virtuti conſcientiâ majus ſit*, ut *Divinus Vir* iterum *lib.2. Tuſcul: quæſt.* monebat, *Epicurus* apud *Senecam loco citato* cum conſorti ſuorum ſtudiorum ſcriberet, *hæc*, inquit, *ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.*

Sed *populi vox, Dei eſt.* Non inficior quidem, ſi ſanæ rationis ductum, bonorumq; & prudentium auſpicia ſequatur; cæteroquin ſæpe vox *Diaboli*, ut *ATHENIENSIUM* in *Solone* apud *Valer: Max.lib.5. c.3. Diog. Laert.lib 1.vit.philoſoph. Plutarchum in vita Solon, Miltiade* apud *Herodotum lib.6.p.m.181. Juſtin: lib.2. Probum in vita Miltiad. Themiſtocle* apud *Thucydidem lib.1. belli Peloponneſ. Plutarch: in Themiſtocle*, CARTHAGINENSIUM in *Annibale* apud *Livium lib. 33. Æmil: Probum in vita Annibalis*, ROMANORUM in *Scipione Africano* apud *Livium lib.38, Valer. Maximum lib.5. cap.3*, ne noviſſima exempla adducam.

Quod ſi authoritatibus depugnandum, nec mihi exquiſitos ſaporum arbitros defuturos ſcio : qui ſingularem *Harengi* ſuavitatem, quæ rara ſit in aliis piſcibus, aſſerere velint. Fidem & guſtum appello hoſpitum ex ſuperiore *Germaniâ*, qui delicatioribus piſcibus aſſueti noſtros, ut fatui ac inertis guſtus, criminantur, ob aquas crudas, craſſas & averſo ſole poſitas, quarum ſaporem in ſe recipiunt, *Harengi* peculiarem in guſtu gratiam, puriſſimumq; ſaporem magnis laudibus attollunt; ne Clariſſimorum Medicorum, *Dan: Sennerti lib.4. inſtit: part.1. cap.3. Caſparis Hoffmanni inſtitut: lib.5. cap.22. de piſcibus, Balduini Ronſſei epiſt. med. 29.* aliorumq; aſſenſum huc tranſcribam.

Ut tamen cauſſas repetam, cur *Harengum* pleriq; aſpernentur: ſolam copiam, unde hoc tam inſolens piſcis hujus aliarumq; domeſticarum rerum faſtidium obrepit, cauſſam judico. Namq; τὸ ἥμιον σπάνιον, ϗ τὸ σπάνιον ἥμιον juxta *Ciceronem lib.2. de finibus. Major ſcilicet*, & heic, quemadmodum plerumq; omni aliâ in re, *è longinquo reverentia*, ut verba *C.Taciti lib.1, annal. cap. 47.* huc commodem. Et verè *Martialis libr.4 epigram.29.*

Rara juvant, primis ſic major gloria pomis,
Hybernæ pretium ſic meruere roſæ.

Parvo ſcilicet apud nos conſtant *Harengi*, cum primo vere pluribus navigiis cottidie venum exponantur, ſolâ fere copiâ tum neglecti, pauperibus & inferioris ſortis hominibus in cibum transcripti, niſi ſi infumandi redimantur, ceſſuri æſtate etiam in cibum aliorum, cum cæteri piſces fervore languidi, venereq; prægreſſâ marcidi, minus ad genium ſapiunt. Eosdem tamen *Harengos* hyberno tempore, quo incorrupti diutius ſervantur, *Hamburgum* aut *Lunæburgum* transportatos nemo etiam exquiſitioris palati illic facile repudiaverit.

Ita *Chryſippus* author eſt, referente *Athenæo lib. 7. deipnoſoph. p. m. 285. Aphyam* (quam ex ſpumâ maris incaleſcente, cum admiſſus eſt imber, gigni prodidit *Plinius lib. 9. hiſtor. nat. cap. 51.* ex *Ariſtotele libr. 6. hiſtor. animal. cap. 15.*) *Athenis* vilem piſcem & mendicorum opſonium, in aliis civitatibus quamquam deteriorem in admiratione ſummâ eſſe pretioq; maximo: quemadmodum & Ἐγκρασίχολοι, (*Apuarum ſpecies, Itali Anchioas* vocant) quod fel in capite habeant, unde propter amarorem illa parte truncantur, ſalliti apud noſtros popinones magno in honore ſunt, aliis locis, quorum indigenæ ſunt, non magno æſtimantur. Noſtrates *ſquillæ gibbæ* quanta in dignatione ſunt viciniis locis; heic viliores præſertim æſtate præteritâ, quod ſolito copioſiores eſſent. Contra *Salmo* omnium piſcium ſuaviſſimus, inter ſcitamenta ſplendidiorum noſtrorum conviviorum nuptiarumq; meritò relatus, atq;, ut *Auſonius Eidyllio decimo* ait,

——— dubiæ facturus fercula cœnæ,

copia ſui *Hamburgi* interdum adeo faſtiditus, ut famulorum menſis adhibeatur, iisdemq;, ſi frequentior ſit, ſæpe ſordeſcat. *Anguilla* ἀπύρηνος, tota mollis, ſuavis & ſucculenta, niſi quod viſcida ſit, & pinguedine ſuſpecta, parvo apud nos venit, in ſuperiore *Germania* quadruplo carior, etiam magnatum menſis dilecta, ne ex *Athenæi lib. 4. & 7. deipnoſophiſt*: anguillarum commendationem huc referam, recenſitam me *libro de purpurâ cap.* 20.

Sed ſanitati officere eſum, *Harengorum*, indeq; febrire homines experientia, ſtultorum magiſtra, horum judicio teſtatur. Eâ vero in re patrocinari & adeſſe naturæ benignæ omnium parenti juvat, à pluri

plurimis ſpretæ, ut luxurianti inviſi piſcis nimiâ fertilitate: quæ tamen *nihil ſine ingentibus cauſſu genuit*, teſte *Plinio lib.29.nat. hiſtor.cap.4.* ne dum in damnoſi piſcis fœcunditate laſcivire voluiſſet.

Quotiens enim *Harengorum* captura toto vere ampliſſima eſt, nullis tum febribus tertianis, quod epidemiæ nullæ graſſentur? quæ alias vere & æſtate fere, vel locis à mari remotioribus, increbreſcunt, quod bilis in corpore abundet & commoveatur. Ut elenchum non cauſſæ ut cauſſæ committi videamus, delato generoſiſſimo piſce criminis gravioris, quod corporum prava diſpoſitio, *Harengorum* immoderatus uſus, & vitioſa eorundem præparatio potius meruit. Siquidem & heic relligiosè attendendum: *Ne quid nimis. Perniciosiſſimum enim in omni quidem vitâ, quod nimium, præcipue tamen corpori* juxta *Plinium lib.11.nat hiſtor. cap.54.* Et ut *Cicero in Orat: cap.22.* ajebat, *Etſi ſuus cuiq; modus eſt, tamen magis offendit nimium, quàm parum.* Facile namq; accidere poteſt, ut ventriculo malè diſpoſito, ſi is intolerando calore æſtuet, bilisq; in eo circumfluat, *Harengi* aut largius aſſumpti, aut inveterati, aut non bene cocti, nec ſatis ſalliti, nullis adjectis condimentis, corrumpantur, morbosq; generent, tenerrimâ eorum ſubſtantiâ citæ corruptioni ſubjectâ. Qui tamen propterea in cibis non penitus recuſandi, quod aliis præſtantiſſimis cibis idem non raro eveniat.

Lac certe, quod primum naſcentibus nobis natura benigna tribuit, omnium eduliorum optimum, ſententiâ *Galeni de ſucc. bon. & vit.cap.4. & lib.3. alim.fac.cap.15. Oribaſii lib.4.ſynopſ.cap.13. Aetii tetrabibl.1.ſerm.2.cap 86, Actuarii de ſpir.anim.nutrit.cap.8. Avicennæ lib. 1.fen.3.doctr.1.cap.2,&* *l.2. tract.2.cap.*441. Idem tamen *velocis converſionis ad corruptionem,* ut loquitur *poſterior Author lib.3.f.16.tr.1.cap.2.* & *lib.4. fen.1. tract.2. cap.1.* Quod ſi vitioſum fuerit, aut in corpore ægroto corrumpatur, quot morborum fomitem præſtat! *Lac enim dare caput dolentibus malum, malum et febricitantibus & quibus præcordia ſuſpenſa murmurant,* ut docent *Hippocrates, lib.5.aph.64. Galenus & Philotheus in dicti loci comm: Paulus Ægineta lib.1.de re med:cap.8, Lac* capitis dolorem inducere, præcordia & ventrem inflare, & in renibus calculos gignere credit. *Oribaſ.lib.4.ſynopſ.cap.* 18. *Lac* in iis, qui frigido ventriculo ſunt, aceſcit, in iis vero, qui calido ſunt, in nidorem tranſit:

ex quo fit,ut febricitantibus noceat. *Idem lib.3.collect.cap.25. Lac* renes calculo obnoxios lædere & jecur obſtruere in diſpoſitis teſtatus, *Actuarius loco citato lac* caput tentare ſcribit, iis, quibus facile id repletur: quibus vero caſei modo cogitur, viſcera obſtruere tradit. Quin corrupto & coagulato ſuccedunt aliquando ſymptomata, qualia ex venenis naſci ſolent,authore *Avicennâ lib.4 fen.6,tr.3.cap.19.& 21.* refrigeratio ſcilicet corporis,pulſus parvus, præfocans reſpirandi difficultas,nauſea,vertigo,ſyncope, cholera lethalis. Confer eundem *lib.2.tract.2.cap. 441. Aetium tetrabibl.4.ſerm.1. cap. 45. Actuarium lib.5. meth.med.cap.ult.Raſem lib.8.ad Manſ:cap.de comeſt. lact. corrupt.*

Ova quoq;,*gallinarum* præſertim, à Medicinæ Conſultis apprime laudantur,*Galeno 3. alim.fac. cap.22. Aetio lib. 2. cap. 134, Oribaſio collect.lib.2.cap.45. Ægineta lib. 1. de re med. cap.8. Et nullus eſt alius cibus,qui in ægritudine alat,neq; oneret,ſimulq; vim potus ac cibi habeat*, ut ſentit *Plinius lib.29. hiſtor:nat.cap.3. Hippocrates lib.2.de vict. rat.pag. m. 358, ovis volucrum* ἰσχυρὸν καὶ πρόφιμον tribuit,*quod animalis generationem in ſe contineant,& nutriendo in pullo lactis rationem habeant. Avicenna de viribus cord: tract: 2. litt* O. confortando cordi *vitellos ovorum* laudat, quos præ cæteris alimentis convenire docet *in diſſolutione ſubſtantiæ, ſpiritus & diminutione materiæ ipſius,ſanguinis ſcilicet cordialis: quod velociter in ſanguinem transmutentur, parum ſuperfluitatis poſt transmutationem relinquant, & ſanguinem generent conformem ſanguini, quo nutritur cor,ſcilicet ſubtilem & clarum: pellitur ergo feſtinanter ad ipſum. Ova* tamen vetuſtatem adepta abominabilem ſaporem habent, penitus damnanda. Recentiſſima quoq; malè præparata, qualia ſunt ταγηνιστὰ,in ſartagine frixa,iisdem Doctoribus reiiciuntur: quæ etiam ſolâ ſtomachi bilioſi culpâ, ob ſubſtantiam εὐμετάβλητον facile corrumpuntur, & propterea in febribus tertianis pleriſq; medicis ſuſpecta. Unde & *ova* recentia febres cauſſari vulgò creduntur: quamvis alimenta plerumq; accuſari, aliæq; προφάσεις fere in tali caſu deferri noxiæ ſoleant:

Oſtreas ſtomachum unicè reficere, & faſtidiis mederi *Plinius* memorat *lib.32.nat.hiſtor.cap.6.* qua de re à C. *Celſo lib.2.de re med. cap.* 24. inter res ſtomacho idoneas recenſæ. Molliſſimam enim carnem habent,& facile ſubeunt,(id eſt evacuantur, ut explicat *Galenus*

2.aph.

2 *aph.comm*: 18) teſte *Ægineta lib.1.cap.92. Oribaſio collect.lib. 2. cap.53.* & *Gal.3.alim.fac.cap* 33. ut hoc authore crudæ comedantur, quas corpus imbecillius nutrire *idem loco adducto* retulit. Easdem tamen oſtreas intus facile vitiari docuit *C.Celſus libri allegati cap. 28.* Nam quæ facile coquuntur, juxta *Athenæum lib.3. deipnoſoph. p. m.* 87, in ventriculo (igneo ſcilicet & pravis humoribus oppleto) parvo negotio ideo corrumpuntur, quod tenera ſint; ac ſtatim diſſolvantur. Eam ob rem *Galenus loco memorato*, & *Oribaſius lib.2.collect.cap.53.* teſtacea, quæ duram habent carnem, etſi ægrius coquantur, quia tamen difficulter corrumpuntur, talibus exhiberi mandant, quibus cibi in ventriculo ob pravos humores vitiantur, ſive illi ex jecore in eum confluant, ſive in tunicis ipſius contineantur. Quo in caſu *Avicenna lib. 3. fen. 16.tract.1.cap.ult*, cibos *δυσπέπτους, pedes animalium, oryzam etc.* proponit: & *Athenæus libro relato pag.* 91, *τράχηλυς κηρύκων*, cervices, ſeu partem nervoſam duram buccinorum, cui tanquam pedamento caro mollior inhæret, in ventriculo debiliori, ſed quali? igneo & æſtuante, paulò ante commendaverat: quo loco *μήκωνες*, ſeu *papavera buccinorum*, mollem ſcilicet eorum carnem ſtomacho valido non convenire, debiliori verò prodeſſe docuit.

Pari ratione *Harengum*, ſuâ naturâ innoxium, in retorrido ventriculo, ac bile differto, ob tenerrimam carnem facile corrumpi, fomitemq; febribus ex accidenti præſtare arbitrandum: quemadmodum ex marinis piſcibus ſaxatiles facile vitiari, bonum tamen ſuccum gignere, item *phycena* & *phycida*, tenerrimos piſciculos, virus non reſipere, facile corrumpi ex *Diphilo Siphnio Athenæus lib. 8. deipnoſoph. p.* 355. narrat, & *C. Celſus lib. 2. de re med. cap.* 28. piſces teneros intus facile vitiari ſcribit. Unde *Conſtantinus*, montis Caſſinenſis monachus, *de virtut: ſimpl. med. cap.* 16. *fol.* 189. *Facile corrumpuntur in ſtomacho cibi nimium humidi, & qui convertibilis ſunt ſubſtantiæ.*

Hanc ob cauſſam D.D. *Grakium* ab eſu *Harengorum*, (ſi illis noviſſima imputari debilitas poſſit, cum *interdum quædam immerentia ſupremi titulum fati occupent, & magis in tempus mortis incidant, quàm ipſam mortem acerſant*, ut obſervavit *Valer. Max. lib. 9. c. 12.*) pejus habuiſſe arbitror: quod in ventriculo cauſſario, bile oppleto, bilioſisq; fluxibus obnoxio, unde tam crebræ eidem diarrhœæ, *Harengi* corru-

pti prava ſymptomata excitarint. Qua de re nec in bilioſo aut igneo ventriculo levis materiæ cibos, cujus generis *Harengi ſunt*, dandos cenſeo, cum brevi abſumantur & putreſcant. Hinc *Avicenna lib. 1. f. 3. Doctr. 2. cap. 7. piſces, & quæ eis ſimilantur, poſt laborioſum exercitium comedendi non ſunt: corrumpentur enim & corrumpent humores.* Quin confeſſa ſatis vulgò natura *Harengi* recentis εὐμετάβλητος, der friſche Hering verſchlegt nicht: unde & copia majori ingerunt, panemq; nigrum ſecalinum adjungunt, quod diutius in famelico ſtomacho is moretur.

Cum igitur *Harengi* leve ſint edulium, ſeu aſſi ſeu elixi fuerint, qui ventriculũ non onerent, facilè digerantur, & brevi per alvũ abſcedant, ac guſtui gratum & probum alimentum, etiam ἀνάρτοις, præbeant, ſanis omnibusq; aliis, quibus optimæ notæ piſces concedi ſolent, & tenuiore diætâ egent, ut otioſis, ſenibus, imbecillibus, ægrotis, convaleſcentibus in cibum tutò offerri poſſunt, Quemadmodum etiam talibus congeneris & mediæ materiæ piſces dari mandavit *Galenus lib 3. alim. facult. cap. 30.* Quem ſequitur *Oribaſius lib. 2. collect. cap. 51.* Firmat *Symeon Sethus* περὶ δυνάμεων τροφῶν litt. I. ὠφελοῦσι γὰρ οἱ δηλωθέντες ἰχθύες τοὺς ἀγυμνάστους, καὶ τοὺς τὴν δύναμιν ἀσθενεῖς, καὶ τοὺς ἀνακομιζομένους ἀπὸ νόσου Proſunt vero demonſtrati piſces inexercitatis, & qui viribus ſunt debilibus, & qui ex morbo convaleſcunt

Hinc *Oribaſ. l. 3. collect. c. 15.* author eſt *fidiculam, rhombum, hepatum, buglosſum, paſſerem & lacertũ, medios quodammodo inter eos, qui teneram duram q; carnem habent, alimentum optimum eſſe iis, qui ſe non exercent, quiq; imbecilli ſunt: iis verò, qui convaleſcunt, friabile & molle alimentum eſſe ad bonam valetudinem accommodatiſſimum, quoniam optimum ſuccum creet.* Et *Galenus lib. 8. meth. cap. 2.* in diariâ febre piſces ſaxatiles, *aſellos* in alto mari captos, *ſoleas, torpedinem, mullum, lupum, mugilem pelagium* admittit: & *in conſilio pro puero epileptico p. m. 352.* piſces petræos & pelagios laudat, & *lib. 1. diæt. acut: comm: 27.* de pleuriticis agens, loco *ptiſanæ piſces ſaxatiles*, ut maxime idoneos, & ex non ſaxatilibus *aſellos* commendat. Cui adſtipulatur *Plutarchus lib. 4 ſympoſ: quæſt. 4. Marina, ait, opſonia, præterquam quod ſunt ſuaviſſima, maxime innoxia: nam & carnoſa ſunt, & non perinde ut carnes gravant, ſed facilè concoquuntur*

tur

tur & digeruntur. Teſtimonium mihi perhibebunt Zeno hic atq; etiam mehercle Crato, qui ægrotantes ante omnes alios cibos ad piſcem ablegant, ut leviſſimum. Quin ipſe filiolæ meæ decenni præteritâ hyeme febre petechiali graviſſimè laboranti, *Harengum* decumanum, is enim apud nos lautior eſt, elixum, cum modico aceto conceſſi, cum cætera proſtratus appetitus recuſaret. *Scilicet imbecillis hominibus rebus infirmiſſimis opus eſt: mediocriter firmos media materia optimè ſuſtinet, & robuſtis apta validiſſima,* authore *C. Celſo lib. 2. de re med. cap. 18. in fine.* Cui adſtipulantur *Galenus 3. alim: fac. cap. 30. Oribaſius lib. 1. collect. cap. 51.* & alii.

CAPUT XII.

De Harengo ſale durato.

INvidiſſe generi humano tantum beneficium alma parens videri poterat in ſummâ generoſiſſimi piſcium æſtimatione, atq; inenarrabili copiâ, tam properâ ejusdem corruptione, tenerrimæ carnis fibris levi alteratione diſſolutis, quæ carnis compagem ſuſtinent; ni à ſaliturâ præſidium quæſitum foret, quâ *Harengorum* fluxa mollisq; caro cogitur & denſatur, ut ad loca diſtantiſſima mitti, totoq; anno ad opſonia adhiberi incorrupti poſſint. *Siquidem ſalis natura eſt corpora adſtringens, ſiccans, alligans, defuncta etiam à putredine vendicans, ut durent ita per ſecula teſte Plinio lib. 31. hiſtor. nat. cap. 9. Homerus fons ingeniorum,* quemadmodum eum appellabat dictus *Author lib. 17. hiſtor. nat. cap. 5.* *ἅλας θείους lib. 10. Iliados verſ.* 214. vocavit:

Πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο
Divino ſâle conſperſit,

quod corpora diu incorrupta ſervet, ut pluribus explicat *Plutarchus lib. 5. ſympoſ: quæſt: 10. & 7. ſympoſ: in præfatione*: cui ſequentia ex *Euſtathio in dicti loci commentario* placet ſubjungere. Θεῖον δὲ ἅλα καλεῖ μυθικῶς, ὃν ὁ Ἀχιλλεὺς κειμήλιον εἶχε, δῶρον ὄντα Νηρέως ἐκ τοῦ πατρικοῦ γάμου, ὡς ἄν, ἐὰν ἐξ αὐτοῦ καταπάττοι βρῶμα, ἥδυτατον αὐτὸ ποιῇ καὶ τὸν ἐν

μεγί-

μεγίσαις ὄντα λύπαις πάθη φαγεῖν, οὕτω καὶ ἐν Ὀδυσσεία ἡ Ἑλένη φαρμακόν τι ἔχουσα καὶ μίσγουσα τῷ κρατῆρι ἀλύπους ἐποίει τοὺς πίνοντας. καὶ τὸν ἅλα γοῦν τοῦ Νηρέως τοῦτον θείαν τινὰ ἔχειν δύναμιν ὁ μῦθος φησὶν ἐπὶ τοῖς ἐσθίουσιν. Ἄλλως μὲν τὸ κοινότερον θεῖον τὸν ἅλα φησιν, ἢ διότι συναγωγὸς ἐστιν εἰς φιλίαν καὶ εὐνοίας σύμβολον τοῖς ξένοις ἐν τῇ τραπέζῃ παρετίθετο. ἢ διότι τὰ ἁλίπαστα ἐπὶ πολὺ παραμένειν ποιεῖ &c. *Divinum vero ſalem Poeticè vocat, quem Achilles theſaurum habebat, donum Nerei à paternis nuptiis; quodſi illo conſpergat cibum ſuaviſſimum illum reddat, et maximis mœroribus affectum ad edendum invitet. Quemadmodum et in Odyſſea Helena pharmacum aliquod habens & miſcens poculo, hilares faciebat bibentes. Et propterea ſalem Nerei illum divinam quandam habere virtutem, fabula dicit, in edentibus. Aliàs quidem communius divinum ſalem vocat, aut quia conciliator amicitiæ & benevolentiæ ſymbolum hoſpitibus in menſa apponebatur: aut quia ſale conſperſa plerumq; durare facit.* Ut & hoc authore nobis diſcere liceat inveteraſſe morem ſalem pro ſigno mutuæ benevolentiæ hoſpitibus apponendi: ut quemadmodum ex diverſis aquis confluentibus, ignis Solisve calore exiccatis *Sal* concretus, ita & hoſpitum animi coire & amicâ converſatione coaleſcere deberent. Unde proverbium de amicis circa *ſalem & cuminum*, qui intimì familiaritate conjuncti, apud *Plutarchum lib. 6. ſympoſ. quæſt.* 10.

Quin & *ſalem* menſæ adhibitum veriſimile, ut convicturos admoneret, quemadmodum nulla cibis gratia ſine *ſalis* condimento; ſic & ſocietatem humanam omnem inamœnam, quæ ſine venuſtate ac lepore, ſine gratia rerum ac verborum eſſet, quæ animos convivarum oblectent ac titillent. Quorſum intendiſſe Servatorem generis humani judico, dum *Marc.* 4. diſcipulos ſuos ſalem in ſe ipſis habere, id eſt dictis factisq; eſſe quàm accuratiſſimos, itemq; Apoſtolum *Coloſſ.* 4. dum λόγον ἡμῶν πάντοτε ἐν χάριτι ἅλατι ἠρτυμένον, ſermonem noſtrum ſemper gratioſum & ſale conditum, id eſt, ornate acutè, terse graviterq; nos loqui, & pro re ac tempore verba noſtra aptare jubet. Equidem ut *illiberales jocos, ubi rerum turpitudini verborum adhibetur obſcœnitas*, ut loquitur *Cicero lib.* 1. *officior.* indignos viro bono ac gravi judico ita παιδιὰν ἀνύβριστον, καὶ τέρψιν ὠφέλιμον, καὶ γέλωτα μὴ μώμου, μηδὲ ὕβρεων, ἀλλὰ χάριτος καὶ φιλοφροσύνης ἑταῖρον *jocum non contumelioſum, oblectationem utilem, riſumq; non momi atq; injuriarum,*

rum, ſed gratiæ ac comitatu ſocium, in conviviis laudo ex *Plutarchi lib: 1. ſympoſ: quæſt.*4. taleſq; ſales ingenui ac faceti hominis & excellentis ingenii judicio; quod urant, atq;, ut *Perſii ſat. 1.* verbis utar,

——— *admiſſi circum præcordia ludant.*

quos edentatæ belluæ morſibus aſſimilabat *Macrobius lib.* 7. *Saturnal. cap.* 3. in quibus τὰ πλεῖστα συμπόσια ναυαγεῖ *Plutarchus loco adducto* teſtatus.

Præterea ſalis quædam religio olim in menſa fuit, ut cenſet Vir eruditiſſimus *Adrianus Turnebus lib.* 10. *adverſar. cap.* 22. unde ἱεροὶ ἅλες Græcis dicti: quemadmodum & *Lycophron* Poeta ἁγνίτην τὸν ἅλα vocavit, id eſt, θεῖον, ut explicat *Euſtathius loco allegato.* Et *Arnobius lib.* 2. *adverſus gentes p.m.*92. *Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu & ſimulacbris Deorum?* Sic murie ſeu ſale tunſo, & in furno percocto, atq; in aquã miſſo Veſtales virgines utebantur in ſacrificiis, ut notat *Feſtus lib.*11. *d verb. ſignif.* In veteri teſtamento nulla hoſtia ſine ſale *Levit:* 2. *verſ* 13. & *Marc.* 9: *verſ.* 49. Ut hinc ethnicos mutuaſſe morem ſallendi ſacrificia credam, ut in ſalſa mola apud *Plinium in præfat. hiſt. nat ad Veſpaſ. Imp. & lib.* 31. *hiſtor. nat. cap.* 7. *Feſtum loco jam adducto & Vergilium lib.* 12. Æneidos

Dant fruges manibus ſalſas.

Harengi ſali committuntur ad *fretum Balthicum, Juliam*, quæ maxima pars eſt *Cimbricæ Cherſoneſi*, & *Scaniam*: circa quam olim maxima, & quæ fidem pene excederet, præda iſtorum acta: ut, teſte *Saxone Grammatico in præfatione Danicæ Hiſtoriæ, impacta navigia vix remigis conamen eripuerit, nec præda artis inſtrumento, ſed ſimplici manus officio capta.* Repetit ex eodem *Joh. Iſacius Pontanus diſcuſſion: hiſtor: lib.* 1. *cap.* 14, & *Falſterboam*, præcipuum piſcationis locum, appellat: ubi adhuc dum domicilia urbium *Hanſeaticarum* cernuntur, pleraq; vetuſtate collapſa; niſi quod *Lubecenſes* præterito anno ſuas ædes reſtaurari juſſerunt: qui etiam quotannis ſervandi juris præfectum illo mittunt. Irâ cæleſti adeo acciſa *Harengorum* copia dicitur, ut pauci illic piſcationibus jam operentur: cum præteritis annis aliquot mille homines iſto miniſterio quæſtum fecerint. Agminatim enim *Lubecã* aliiſq; *Anſeaticis* civitatibus, ut memorant *annales Lubecenſes Joh. Ruffi manuſcripti* de rebus geſtis ann. Ↄ ccc XLII, eò piſcationis cauſſâ contende-

tende-

tenderunt : quod privilegiis illis conceſſum fuerit, hoc mercimonii genus ad *Scaniam* exercendi.

Cujus rei non obſcura in iisdem urbibus reſtant veſtigia. Heic *Lubecæ* conventiculo mercatorum, qui inter initia naſcentis Reipublicæ mercaturam fecere illis locis, nomen datum der Schonenfahrer Schütting: quod adhuc dum *Spectabile Collegium Mercatorum* retinet, in ipſo ædium veſtibulo ſalſura *Harengorum* depicta, & Inſigni trium *Harengorum*, quo in convocandis tribubus atq; obſignandis litteris utuntur, in antepagmentis earum conſpicuo : cum tamen jam pauci illò verſus negotientur, tractu maris minus fœcundo, & *Harengis Hollandicis*, qui in aperto Oceano ad *Britanniam* condiuntur, multo inferioribus. Laſciviâ ferulis à nefario cæſum *Harengum*, ut nimiâ copiâ jam gravem, conſtans fama huc manavit : quod tamen facinus in inſulâ *Oceani Germanici*, das heilig Land appellatâ, patratum ſcribunt *Ulyſſes Aldrovandus lib. 2. de piſcibus cap. 10, Geſnerus libro de piſcibus fol. m. 6.* Anno CIↃ IↃ XXXVII. conſueta *Scaniæ* littora *Harengos* declinaſſe, atq; capturā horum piſcium plane nullam fuiſſe, non ſine confeſſione juſtæ adverſus flagitia Divinæ vindictæ, noſtri annales confirmant.

Scaniâ Norvegiam aliquamdiu conceſſiſſe *Harengos*, inde ad Scotiæ Angliæq; littora jam dudum migraſſe narrat *Joh. Iſacius Pontanus*, ut & *Theodorus Grasvvinckel in vindiciis maris liberi adverſus VVelvvodum. Guilielmus Camdenus*, multa fide atq; eruditione Hiſtoricus, in *Britannia pag. 586. in Brigant. tit. North-Riding, Haleces* has proavorum ſeculo tantùm ad *Norvvegiam* ſua quaſi ſtativa habuiſſe fatetur. Profectò ſi verum facere judicium volumus, ac repudiatâ omni fortunæ ambitione decernere : nulla beneficia naturæ æterna ſunt, quod commodato, non mancipio, nobis data ſint : quæ occulto atq; impenetrabili, ſed ſapientiſſimo, conſiliô ſummus Director rerum aliter atq; aliter diſpenſat.

Ad Norvvegiam *Harengorum* ſalſura melior, ut, qui *Druntheimii* ſalluntur, cum optimis *Flandricis* interdum contendant, magis etiam durabiles muriâ aſſervati. *Bergis* omnium maximi ad nos afferuntur, quos tamen à *Scoticis Harengis* vaſto corpore ſuperari audio : quorum caro ſallita durior eſt & populare ſapit, plebeiis, aliisq;, qui validè

exer-

exercentur relinquenda. Noſtri *Harengi*, ut & illi qui cætero *Balthico mari Auſtrum* verſus vagantur, ad ſalituram non adhibentur, (quod & de ad Enckhuiſam captis Ampliſſimus *Dn. Nicolaus Tulpius* confirmat) cum piſcoſum ſapiant, ſinepulpa, conditurâ ſalis ſtrigoſi atq; exucci. Omnes tamen cæteros *Harengos* maximis intervallis poſt ſe relinquunt ab *Hollandis Selandisq;* in oceno ad *Magnam Britanniam* ſalliti: qui tota æſtate atq; autumno illic hærent, atq; (impetrata prius veniâ à præfecto *Scarboroug* ſeu *Scardeburgenſi*, ut defendit *Seldenus lib. 2. de domin. maris cap. 21. ex Camdeno pag. 586. in Northriding*) aves has ſquamatas venantur immensâ copiâ, quæ deſideriis univerſæ *Europæ* ſatisfaciat. Noſtri den Flamiſchen Hering vocant: quod olim *Flandri* piſcandis ac condiendis *Harengis* apud alias gentes ſibi famam meruerint: poſtea, vertentibus ſe rerum fatis, ad *Hollandos Selandosq;*, *Harengorum* mercimonium, ſolo relicto priori nomine, devolutum.

Poſt 24. *Junii* ſtylo novo prædatum mare abeunt *Hollandi Selandiq;* (nec enim ante definitam diem, ut dixi, retia publico decreto *Ill: morum ac Præpotentium Ordinum* cuiquam exponere licet, quod non dum ad juſtam magnitudinem adoleverint) & *Harengos* captos & exenteratos ſale in ipſo mari condiunt, quibus onuſtas naves in patriam referunt. Capi quidem *Harengos* in confiniô *Hitlandiæ* ſub initium veris à *Kalendis Martiis* in quartum & vigeſimum usq; menſis *Junii* diem *Dn. Nicolaus Tulpius* ſcribit, *non tam eſui humano, quàm ineſcandis aſellis majoribus ſive Cabeliauwen inſervientes.* Idem tamen meminit *poſteriorem hujus piſcationis partem, utpote maturiorem paulo, ac melioris notæ, ſubinde in patriam quoq; devehi, ante ſtatutum piſcationis tempus, ſed duntaxat ſub nomine* Gras Hareng. *Exorto illo die, Divo Johanni qui ſacer eſt, inſudatur gnaviter in capturâ ſecundæ ſpeciei Harengorum, quos virgineos* Maetgens Hareng *vulgò appellant; ſiquidem infallibili experimento, jam tum ab anno milleſimo centeſimo & ſexageſimo tertio, cum hæc piſcatio circa littora noſtra primùm Zelandis innotuit, comprobatum, id temporis piſces hoſce evidentes feciſſe progreſſus; quamvis reapſe conſpicuè adhuc minores tenerioresq; ſint illis, qui decem diebus poſt, id eſt in feſto Divi Johannis veteris ſtyli capiuntur. Harengi quippe repente matureſcunt, & exuberantibus ovis impendio citius exurgunt in majorem molem,*

tumidiores, duriores, ac corporis compage cæteris præſtantiores : quo tamen laudabili habitu haud diu gaudent : depoſitis enim menſe Septembri ovis ad generis propagationem in loco illo arenoſo, quem het doggers Zand *vocant, ſubeunt deteriorem ſubſtantiæ conditionem, adeoq́; extenuantur, ut longe minoris fiant mercatoribus, qui tamen ab illorum piſcatione haud abſtinent ante Kalendas Decembres, ſive feſtum Divi Andreæ.*

Exquiſitiſſimâ vero curâ conditionem exercent, exenteratis *Harengis* ſale ſatis copioſo conſperſis, in quo eos diligentiſſimè verſant, vannisq; quo vis ejus altius penetret, crebro jactatu volutant, donec plane flacceſcant: qua ratione etiam magis redduntur compactiles. Recentiſſimos ſallunt, ne quid injuriâ aeris noxiæ contrahant, ſecus quàm pleræq; matres familias heic opinantur, quæ aliquot horas *Harengos* reponunt, antequam ſalem aut muriam affundant; quod carnem ita magis tenereſcere exiſtiment: cum alias eam ſatis mollem habeant, quæ levibus cauſſis putredine diſſolvatur: quæ in muriaticis ſi rufeſcat, tardiorem aut negligentiorem condituram arguit, & *Harengos* diſſolutis fibris jam marceſcentes: quos & palato minus gratos eſſe guſtus oppidò docebit. Conſtitutos ejus rei in ſingulis locis cenſores, qui ad minima errata attendant, refert *Schoockius lib. 8. Belg. feder: cap. 2. Harengi* enim in mari capti ſaleq; in navibus conditi, ſimulatq; delati fuerint ad eum locum, unde naves ſolverunt, luſtrantur, ſaleq; conſperguntur : quod vulgò vocant verpacken/ & quidem in loco publico, ad quem omnibus accedere liceat. Omniaq; vero vaſa minus utilia ut initiò à vietoribus notantur atq; examinantur; ita ab iis, qui vulgo Packers nominantur, attendentibus ad hoc Cenſoribus, omnes *Harengi*, quocunq; modo corrupti ſeparari debent, nominatim illi, qui in diplomate ipſo notantur, ut onſuyveren wracken / Kuitſiecken / Wanſouten/ Melckſiecken/ Hering. Quæ cura etiam *Lubecæ* luſtrandis *Harengis muriaticis* exoticis publicè adhibetur.

Ante decimum diem ſalſura venalis haud proſtat, non dum victâ & domitâ penitus *Harengorum* cruditate. Hinc interdictô publicô cautum, ne quis ſalſamenta hæc venum exponat ante decimum à ſalitura diem : elapſo decendio judicantur ſalubria, utpote adepta jam à ſale illam cum coloris mutationem, tum ſaporis maturitatem, quam

quam requirit publica cenſura, ut præter *Schoockium* teſtatur *Dn. Tulpius lib. 2. obſerv. med. cap. 24.*

Maxima autem novellorum, quos Maetgen Hareng appellari jam dixi, gratia eſt, quos forſan, ut electiſſimæ bonitatis, feſtiviſſimus *Taubmannus comm: in Capteiv. Plaut act. 4. ſc. 2.* pro *Jovis cerebro* habuit: unde & triplo aut quadruplo carius primi eorum veneunt, gravidis, aliisq; *ἀνορεξίᾳ* languidis anxiè eos deſiderantibus: quos nec exquiſitè ſani, ſaporis delicio ineſcati, temere recuſare velint. Hinc multos ſatagentes videas, ut primi muſteos *Harengos* comparent, quos longè lateq; amicis dono mittant, levidenſæ munus in majori eorum copia poſt paucos dies aſpernaturis: nec ulla magnatum menſa facile repudiatura ſcitiſſimi ſaporis ſalſuram; quam, ut ex *Auſon. epiſt. 9. de oſtreis* verſum huc aſſumam,

Usq; ad Cæſareas tulit admiratio menſas!

Hinc ſolenne quibusdam locis *Harengos* muriâ duratos & primùm allatos coronis viridibus excipere, per compita, in quibus eduntur, vel venum exponuntur, paſſim ſuſpenſis: quod & notat *Dn. Tulpius* loco allegato.

In aditiali epulo, quod *Lubecæ* circa feſtum *Bacchanaliorum* tribulibus in collegio, der Schonenfahrer Schütting, datur, ad quod honoratiores noſtræ urbis ſolenniter invitantur, *Harengi* ſalliti primùm apponuntur, biduum, elutriatâ penitus muriâ, vino macerati, quo inveterata ſalſedo eliquetur, novumq; nec ingratum ſaporem bibant, mirantibus plerisq; in cæterâ ferculorum lautitiâ iſtum vulgarii cibi miſſum; præſertim cum illo anni tempore muriatici guſtui minus adblandiantur. Sic *Anſerum* cibaria, qui tamen in effuſiſſimô luxu plebeium jam ſapiebant *Petronio in Satyr:* Cenſores *Romani* in primis locabant, ut, quemadmodum *Plutarchus in quæſtionibus Romanis* cenſebat, exemplum frugalitatis darent; unde inter initia magiſtratus à talibus ordiri voluerunt, quæ ſumptuum & occupationis minimum requirerent. *Plinius lib. 10. nat. hiſtor. cap. 22.* honori *Anſerum* id tributum autumat, quorum vigil cura *Capitoliô* teſtata defensô, per id tempus canum ſilentio proditis rebus.

Quæ tamen vetus conſuetudo noſtra & ſuam rationem habet: poturi enim prius aliquid cibi familiaris & conſueti accipere debent,

quod eundem facilius tolerent, etſi minus bonus videatur, ut præclarè Venerandus noſter Senex *de rat. vict. in morb. acut. pag. 389*, nos docet. Quo authore loco allegato δυσφόρως φέρουσι τὰ βρώματα, ἃ μὴ εἰθισμένοι εἰσὶν, εἰ καὶ καλὰ ᾖ, difficulter ferunt cibos, quibus non aſſueverunt, etſi boni ſint. Et quod, quibus rarius & ex intervallis utimur, edulia vino corrumpi ventriculumq; morderi *Daphnus* ex *Heraclide Tarentino* teſtetur apud *Athenæum lib. 3. deipnoſoph. p. m. 120.* Præterea acria & ſalſa ante cibum ſumuntur, & omnino quibus plurimum ſalis adeſt, ut ſentit *Plutarchus lib. 4. ſympoſ. quæſt. 4. Hæc enim alliciunt appetitum ad alia opſonia, hucq; delinitus ad reliqua alacrius recensq; ſe confert.* Et paulo poſt. *Non ad cibum proinde duntaxat, ſed ad potum condimenti vim ſales habent.* Quin & ſalſa δηκτικὸν ἢ κεκλημένα, dum ventriculum irritant, alvum etiam pellunt, ſimulq; vinum evacuant: qualia poturis offerri ſuadet *Athenæus loco allegato.* Qui glutinoſa & adſtringentia iisdem dari ibidem vetat: cum alvum ſiſtant, viniq; ociorem tranſitum morentur, unde caput plenius vaporari, graviterq; percelli ſolet.

Ante omnia verò credendum, in innocente urbis LUBECÆ infantiâ majores noſtros, homines ſimplices, omnis luxus rudes, conventus ſuos celebrare voluiſſe minimis ſumptibus & parabili cibo, qui ſimul appetentiam edendi excitaret, & ad potum invitaret: ut adhuc dum iſtius frugalitatis exemplum apud poſteros perduret. Equidem aut me flagrantiſſimus amor hujus Reipublicæ fallit, aut nulla vicinarum fide & conſtantiâ major, nec religione in Deum, munificentiâ in pauperes, ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quã tam ſerò luxuria immigraverit, nec ubi tantus ac tam diu continentiæ ac parcimoniæ honos fuerit: adeo quanto rerum minus; tanto minus cupiditatis erat, quod de *Româ in præfatione hiſtoriæ ſuæ* candidiſſimus morum cenſor T. *Livius* profeſſus. Præclarè ὁ πάνυ *Jul. Cæſar Scaliger in urbibus pag. 610.* de LUBECCA.

Si referam mihi quis credet? ſub limina mundi
Ultima legiferi jura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultumq;, fidemq;,
Fortiaq; invictâ pectora pura manu,
Dum mirata ſtupet terras Aſtræa relinquens,
Atq; putat cœli regna, reſedit ibi.

Haren-

Harengus ſale conditus recens facile concoquitur (etſi tardior
pauló quàm elixi futura in ventriculo mora)ſalubre alimentum cor-
pori præbet,ſi ne quidem coctus accipiatur , abſumptâ illâ crudâ &
piſculentâ humiditate,molliſſimaq; carne à ſale coacta & cocta:quod
ſalis natura ignea ſit,ut confirmat *Plinius lib.31.nat.cap.9.* & vim dige-
rendi habeat. Stomacho præterea gratus, cujus faſtidium mirè le-
vat,& inhærentem pituitam deterget,alvumq; remorantem ſollici-
tat: ut excitatô ciborum deſideriò , novisq; inde viribus acquiſitis,
ægroti priſtinam valetudinem nonnunquam reciperare videantur.
Quod & obſervavit *Balduinus Ronſſeus epiſt.29.* unde vulgò der Ge-
ſundmacher appellatur. Et non vane Belgæ: *quemadmodum à Sole ne-
bulas,ſic ab halecibus morbos diſſipari*: imo *nunquam magis ſterilem eſſe me
dicorum meſſem,quàm ſub horum adventum*, narrat *Dn.Tulpius lib.2.obſerv.
med.cap.24.* Apud quem memorabile exemplum legere licet mulie-
ris gravidæ,tam impenſe halecibus ſalitis delectatæ,ut ante partum
comederit mille ac quadringentas , ſine ventriculi offenſa ullove di-
ſpendio ; niſi quod infanti anxium deſiderium ejusdem cibi relique-
rit.

Sed ut ad laudes *Harengi* redeam , ſali id omne dandum, quod
excitat appetitum,invitatq; in omnibus cibis , ut ſit peculiaris ex eo
intellectus inter innumera condimenta,ut ait *Plinius lib.31. nat.hiſtor.
cap.7.* Hinc *Plutarchus lib.5.ſympoſ.quæſt.ult.* Salem τῶν ὄψων ὄψον καὶ
ἥδυσμα vocat,ſale neceſſitatem cibi in ſuavitatem convertente. *Pli-
nio,loco citato,Sal* omnium condimentorum præcellentiſſimum judi-
catur,ut vita humanior ſine ſale nequeat durare : adeoq; neceſſarium
elementum eſt, ut tranſierit intellectus ad voluptates animi quoq;.
Nam ita ſales appellantur, omnisq; vitæ lepos,& ſumma hilaritas,la-
borumq; requies non alio vocabulo conſtat. Firmat *Plutarchus lo-
co jam memorato.*

Sali equidem debetur gratia , quæ guſtum blandiſſimè afficit :
ut propterea in profundâ *Romanorum* ingluvie *innumeris generibus ad
ſaporem gulæ cœperit ſal tabeſcere*, teſte *Plinio lib.31.nat.hiſtor. cap.8.* Et
Oſtrea,quæ cruda ſine alio apparatu (quidam tamen pipere conſper-
gunt & pauco ſale)à lurconibus avidiſſimè vorantur, quanam alia il-
lece-

lecebrâ guſtum oblectant, niſi quod dulci, verba ſunt *Auſonii epiſt.* 9.

——— tenerrima ſucco,
Miſcent æquoreum tenui ſale tincta ſaporem?

Sine ullo ambitioſo condimento, ſola detracta cuticula, ſub qua argentei coloris pulpa eſt, *Harengus* crudus fere manditur: ut vel hinc gloria inæſtimabilis noſtri piſcis, nullis aromatum offuciis, quæſitisve ſaporum blandimentis, ſolâ ingenitâ ſuavitate, cui nulla in piſcibus par ſit, placentis eluceſcat. Præclarè *Xenophon in Hierone* de polydædalis ciborum ἡδύσμασι ſtatuebat: ea mollis luxuq; languentis animi eſſe ἐπιθυμήματα: quod qui libenter cibo veſcuntur, οὐδὲν προσδέονται τῶν σοφισμάτων, ut ex eodem repetit *Athenæus lib.3. deipnoſoph. pag.*121. Alii *cæpas* addunt, parum prius in aqua maceratas, quò acris earum ſapor aliquammodo remittat, ut gulam magis acuant: In ſuperiore Germania oleô & pipere conditum *Harengum* malunt; quem ſic paratum medicus noſtra ætate Clariſſimus *Caſpar Hoffmannus* laudat *lib.* 5. *inſtitut. med. cap.* 22. Alii firmando ventriculo, & temperandæ acrimoniæ, non minore oblectamento, parum aceti ſuperiori conditurae miſcent. Qui volet, pulpam *Harengi* rejectis ſpinis tenuiter conſciſſam *Oleo*, *Origano Cretico* (noſtri den Spaniſchen Hopffen vocant) & momento *aceti* conſperſam accipere poterit: cundimentū lautiſſimū, quo apuas ſive anchioas conditas jam tabentes, atq; tantū non vetuſtate diffluentes ὀψοδαίδαλοι caſtigare, & torpentem guſtum hilarare conſueverunt. Quod conditurae genus etiam antiquis ſatis notum ad noſtram memoriam tranſiit. Unde apud *Athenæum lib.* 3. *deipnoſoph. pag. m.* 116. & 119. ex *Clearcho Solenſi*,

σαπρὸς τάριχος τὴν ὀρίγανον φιλεῖ
Putre ſalſamentum origanum amat:

de quo pluribus *Eraſmus in Adagiis*.

Sunt qui exemptâ ſpina carnem *Harengi* ſale aſſervati minutim tritam unà cum *cæpis* & *pomis* ex *aceto* & *Oleo* inferant: quo edulio vix aliud inveniri gratius arbitratur *Ulyſſes Aldrovandus lib.*2. *de piſcibus cap.*10. Equidem tam facilem apparatum, nec minus gratum & ſalubrem, à *Germanis* ferè negligi cum *Aldrovando* miror, apud quos tamen hujus ſalſurae recentis abundantiſſima copia. Ego carnem *Harengi* delicatiorem à ſpinis penitus liberatam, tenuiterq; conſciſ-

ſam

ſam paullò copioſioribus pomis particulatim confectis miſceo, adjectô *cepæ* momentô (hoc enim eximiam gratiam edùlio conciliat) & *olei* atq; *aceti* modicô. Opſonium profectò, quod ignavum ac marcentum ventriculum mirè excitare poſſit: cujus etiam acrimonia tali conditura apprime temperata, ut viſceribus planè ſit innoxia. Quidam tamen irritandæ gulæ, atq; excitando potus deſiderio, acetarium hoc piperatum apponi malunt, majore forſan guſtus, quàm valetudinis, curâ.

Parcior autem ſit uſus *Harengorum muriaticorum*, quòd in ſtomacho non tam facilè, ut recentes, conficiantur, denſatâ ſale eorum ſubſtantià, quod in ſalſuris piſcium contingere notat *Galenus 3. alim. fac. cap.* 41. Unde qui aliquot recentes *Harengos* ſine damno, ſine faſtidio, comederit, teſſellis paucis *ἁλιζομένου* expleri famem ſentiet. Quin & acrimonia ſalis, etſi grata ventriculo, nimiâ tamen copiâ eundem, ut & hepar, accendere, & pravos humores generare ſolet. Unde *Diphilus Siphnius* apud *Athenæum lib 3. p. m.* 120. *τὰ ταρίχη καυσώδη* teſtatus.

Primi autem *Harengi* qui ſalluntur, ſic maxime edules, ut gratiores, tenellâ molliq; carne delicatam pinguedinem quaquaverſum exudante, ut pubeſcentium ſapori nulla ſalſuræ ſuavitas præferatur: quod vernâ Venere conceptum marcorem jam exuerint, novo pabulo refecti, parteſq; genitales rurſus impleri, &, ut ſic loquar, ſororiari incipiant: *οἱ δὲ ἰχθῦς ἀρχόμενοι κυΐσκεσθαι σχεδὸν ἀγαθοὶ πάντες* authore *Ariſtotele lib. 8. hiſtor. animal: cap. ult.*

Inclinante æſtate caro eorum, fluctuum verbere multaq; exercitatione ſolidior facta, coqui aſſariq; magis aſſueſcit, ſed quæ cruda minus tum placeat, quod imminuta pinguedine continuis per mare diſcurſibus laudata ſuavitas fere conceſſerit. Quemadmodum & *Galenus* piſces, qui in mari puro verſantur, pinguedinem aut minimam aut nullam habere retulit *lib. de ſucc: bon. & vit, cap. 9.* collatione ſcilicet factâ cum aliis ejuſdem generis piſcibus, qui ad oſtia fluviorum, ſinus oraſq; maris ſubſiſtunt. Diſtentis quoq; fœtura *Harengis* roſcida ſuaviſq; pinguedo, qua totum corpus diffluebat, in genituram abſumitur: quin & quæſitiſſima illa gratia ſapòris aliquatenus perit, genitali ſucco quaquaverſum diffundente qualitatem ſu-

am: ut hircire quosdam piſces, & ex his *Manam*, ſcribat *Ariſtotel. lib. 8. hiſt. animal: cap. 30. Scoticos* certe, ut & *Bergenſes Harengos* grandiores & fœtos exuccos eſſe, & tetrum ac viroſum ſapere certum, etſi ſpectandâ ſint magnitudine.

Noſtri tum captos *Harengos* Brandhering vocant, ſingulariter dilectos, ſigno trium *Harengorum* tonnis inuſto. Quamvis & in autumnalibus ſua differentia ſit, quæ ab illis, qui hos piſces ſali ſervandos credunt, curioſe obſervatur, induſtriâ non tralatitiâ *Hollanderum*, quâ cæteras nationes prævertunt. Vulgo halb Gut aut voll Gut vocant: namq; ovis lacteoq; ſucco jam caſſis nulla gratia eſt, quos & ruſtici aliiq; ultimæ profeſſionis homines aſpernantur. Hos omnes, ſi elixare aut aſſare allibuerit, aquâ prius macerari convenit, ut ſalſilaginem aliquatenus exuant: quod in omnibus ſalſamentis facere neceſſarium, & mandatum ab *Athenæo lib. 3. deipnoſoph. p. m.* 121, quoad inodora & dulcis aqua effluat. Hinc feſtivè *Plautus* in *Pœnulo* de meretricibus

AN. *Soror cogita amabo, item nos perhiberi,*
Quaſi ſalſa muriatica eſſe autumantur
Sine omni lepore, & ſine ſuavitate,
Niſi multâ aquâ & diu macerantur.
Olent, ſalſa ſunt, tangere ut non velis: item nos ſumus
Ejuſcemodi, mulieres ſunt inſulſæ
Admodum atq; invenuſtæ, ſine munditiâ & ſumptu.

Chryſippus ſalſamenta marinâ aquâ rigata dulciora fieri cenſuit teſte *Plutarcho lib. 1. ſympoſ. quæſt. 9.* ὁ δ' ἐκ θαλάττης ἑψόμενος τάριχος γλυκύτερος γίνεται, ut teſtatur *Athenæus lib. 3. deipnoſoph.* Firmat in notis hujus loci *Dalechampius.* An quod ſimilia ſimilibus natura ſua ſocientur, & in habentia ſymbolum facilis fiat tranſitus? ut dum aqua marina poros ſalſamentorum penetrat, ſalſedo intus colliquata in affuſum humoré abſcedat. An quod calidior ob permiſtum ſalem marina aqua magis penetret, potentiusq; ſalſilaginem educat? An ut *Author probl ſect. 23. quæſt. 22. cur ſal eliquari citius aquâ ſalsâ quã dulci poſſit?* cenſet, quod eliquari non aliud eſt niſi ab humore caloreve ſubeunte reſolvi & dirimi, ita ut liquidũ ſit: eliquare auté nequeunt, quæ vel ſubire omnino non poſſunt, vel quæ ita ſubeunt, ut tangere nequeant.

Vix

Vix illa vero eliquant,quæ facile transmeant: contrà,celerrimè dirimunt,quæ per vim ſe intrudũt.Subire autẽ nequeunt,quæ amplis admodum partibus conſtant, quippe quæ meatus rei ſubeundæ excedant; contra,quæ minutioribus conſtant,tranſeunt ſine tactione.Atqui ut dulcis aqua tenuior,ita ſalſa craſſior eſt: ergo altera ſua tenuitate facile penetrans vix liquefacit, altera ſubit quidem, ſed minus, propter ſuarum partium magnitudinem: itaq; cogere & proinde dirimere celerius poteſt?

Harengi autem muria durati crudi, aut aſſi & elixi, toto anno cibandæ familiæ adhibentur: qui tamen, primis præſertim menſibus,alimenti non usq; adeo ſunt illaudati: quod ſingularis bonitas non dum tota perierit, & calor robuſtus ventriculi eos melius conficiat,conſuetudine vertente in naturam, & exercito corpore alterante melius cibos, atq; excludente concoctu obſtinatas ciborum reliquias,ut docet *Aetius tetrabibl.1.ſerm.3.cap.2.* Quin cum fames præcipuum ſit ciborum condimentum ſecundum *Ciceronem lib. 5.Tuſcul. p.m.*247,& ipſa *Harengorum* gratia edentes invitet, ſatis commodum nutrimentum inde generari quis dubitat? Cum *pauló pejor, ſed ſuavior,cibus ac potus meliori,ſed ingrato. ſit præferendus* præcepto *Hippocratis 2.aph.38. propterea quod ſtomachus,& virtus retentiva,vehementer ipſi applicantur,cum bonæ fuerit ſubſtantiæ, & fuerint omnia principalia membra ſecundùm operationem ſibi ad invicem convenientia & ſana*, ut loquitur *interpres Avicennæ lib.1 fen.3 doctr.2.cap.7.* Firmant *Raſes lib.25.continent.cap.1. Iſaac lib: diætar. particular.cap.de piſcib.fol.m.*147. Siquidem inſuavia & ingrata ventriculus reſpuit, ut vel nauſeam,vel inflationem,vel fluctuationem parientia ſententiâ *Galeni & Philothei in dictis aphoriſmi Hippocr: comment*: Quin ſuæ ſpontis eſſe debet,qui ſe diætæ legibus obligare velit; quemadmodum & *ἰδιώτας* ad hanc rem poſtulabat *Polybus, ἰδιοπραγοῦντας* ſcilicet, propria privataq; negotia agentes, ut explicat *Galenus comm: de ſalubr: diæt. text.* 1. Famulis, aliisq;, qui *πρακτικὸν* vitæ genus agunt, nulla exquiſita cura valetudinis eſſe poterit; quod cibis,quorum datur facultas,uti cogantur.

Illud equidem diſſimulare nequeo,*Harengos*,etſi æſtate ſalliti & adhuc muſtei palmam peculiaris gratiæ ac bonitatis præ cunctis ſalſuris mereantur,muriaticos neceſſario induere naturam & qualitate,

cæterorum ſalſamentorum ; ſi crebrius aut copioſius accipiantur; maximè verò, ſi diutius ſale ſervati fuerint ; Namq;, *authore Avicenna lib. 2. tract. 1. cap. 2. p. m. 246. et lib. 2. cap. 553. p. m. 376. omnis piſcis eſt frigidus & humidus. Et ſalliti quidem ſunt calidi & ſicci, & quanto plus antiquantur, tanto plus in ambobus augentur.* Unde C. *Celſus lib. 2. cap. 21. omnem ſalſam carnem, omne ſalſamentum inter cibos mali ſucci* reponit. Et *Orib. l. 2. collect. c. 58. §.* de piſcib: cetaceis ſale cond: *Sale conditi piſces communiter ſunt ori grati, ſed mali ſucci et ſtomacho alieni, leniuntq; ac turbant alvũ.* *Diphil*⁹ quoq; *l. 3. Athenæi deipnoſoph. p. m. 120. ſalſamenta ſive è marinis piſcibus fiant, ſive è fluvialibus, ſive è paluſtribus, parum nutrire, exiguum ſuccum præbere, æſtuoſa eſſe, ventriculum juvare, alvum ducere, appetentiam irritare* docuit. Quò etiam de *Harengis ſallitis* plerorumq; medicorum teſtimonia collimant.

De inveteratis ac jam flaveſcentibus nil dicam, quod in illis tenerrima pinguedo jam ranceſcat, muriaq; delicatam carnem ambedat & diſſolvat: cum vix annui *Harengi* muriâ aſſerventur, ſecus quàm credit *Author de nat. rer.* teſte *Vincentio in ſpecul. nat. lib. 18. de nat. rer. cap. 30,* qui *Harengos ultra quàm alios piſces in uſum hominum durare* exiſtimavit. Omnes enim jam vetuſteſcentes, ut penitus improbos, proſcribendos cenſeo ; niſi forte *ὀψιτοφάγους ſecreto ſtomachi vitio* (verba *Martialis ſunt lib. 3. epigramm. 77.*) rancor iſte oblectet. *Piſcis nequam eſt niſi recens*, ut huc *Plauti Aſinar: ſc. 3. act. 1.* verba commodem.

Memini D. D. *Georgium Horſtium*, felicis memoriæ, ex lacteo & genitali ſucco *Harengorum* muriâ conditorum macerato, poſteà coćto in *vino*, aſperſo *pipere, Zingibere, mace* ; *ſacchari* modico, addito etiam *butyro* excogitaſſe *Oſtreas* parare : cujus tamen ſapor ad inimitabilem *oſtrearum* ſuavitatem non accederet : Si quis vero *ἀντιβαλλόμενον* in *Oſtrearum* penuria velit, recentium grandiorum *Harengorum* multo lacte prægnantes genitales meatus hyeme, antequam Venere contabeſcant & extenuentur, in fruſta diſſectos ferventi vino ac butyro immittet, & *ſale* atq; aromatibus ad modum oſtrearum condiet : ita ſuper craticulâ in *Oſtrearum* teſtis fervefacti gratiores ſunt, infra tamen jucunditatem oſtrearum.

Elixus muriâ duratus *Harengus* ſtomacho minus moleſtus erit, eliquata pariter ſalſilagine, quæ coćtione in aquam dulcem ſe

magis

magis diffundit. Editur cum ſimplici aceto; aſperſo, quibus libuerit, cæpæ minutiſſimè tritæ modico. Alii *ſinapis* embamma præferunt, firmando ſtomacho, ne pinguedo eundem relaxet, ac moleſtos ructus cieat. Sic *Xenocrates*, ut teſtatur *Oribaſius lib. 2. collect. cap. 58. §. de ſalſament. fluviat. & paluſtr. Niloticos mures & Phagros*, quoniam pinguiſſimi ſint, elixos ex *ſinapi* mandi jubet: quod, ſi major eorum copia ſumatur, in ventriculo ſupernatent. *Poma* quoq; minutiſſimè conſciſſa elixo *Harengo*, ſed refrigerato, deſuper addita, affuſo *aceto*, peculiarem gratiam huic edulio præbent.

Aſſus *Harengus* muriaticus ſole aut fumo ſubjectæ ſcobis parum prius vaporatus, quo cutis caroq; macerata modicè ſiccescat, elixo difficilius digeritur; quod etiam de recenti ſupra aſſerui, & ſeri ructus ex ventriculo confirmant: qui cum nidoroſum, dum torretur, eructet, evidentiſſimo argumento eſt; priſtinam illam atq; abſolutiſſimam bonitatem piſcis jam concedere, nec ſanis & ægrotis promiſcue commendari poſſe. Bibulis inter alia ſitis irritamenta mirè gratus eſt, fervens appoſitus, ut ſuavior; præcipuè ſtomacho pridianâ crapulâ adhuc marceſcente: unde, quod de *lucio* piſce *Auſonius*, is quotidie

Fervet fumoſis olido nidore popinis.

Ars quoq; ſingularis adhibetur, ne lento calore torreatur, quod tenuiore cuticulâ (quæ fortiore calore ocius contrahitur & occalleſcit eoq; ingenitam bonitatem magis conſervat) in ſubditas prunas pinguedo nimium extillet, caroq; reddatur arida & exucca: hinc prunas ſatis copioſas cratibus ſubiiciunt; easq; perpetuo flabellis ſuſcitant (ſecus quàm in recentium *Harengorum* aliorumq; piſcium aſſaturâ fieri conſuevit) quò ſubito efferveſcat, cum plenius torreri non poſtulet, ſale fumoq; aliquot dierum jam caſtigatus. Hinc tritum ſermone proverbium apud *Athenæum lib. 3. deipnoſoph. p. m. 119.* τάριχος ὀπτὸν εὐθὺς, ἂν ἴδῃ τὸ πῦρ. Aſſum ſalſamentum ſtatim, ac ignem viderit. Præterea τὸ πιότατον καὶ λιπαρὸν τάχιστα ὀπτᾶται teſtimonio *Hippocratis lib. de carnibus p. m. 250.* quod & luculento igne aſſari, contra vero τὰ λεπτὰ καὶ ἄναιμα lento calori admoveri, *Ruffus* apud *Oribaſ. lib. 4. Collect. cap. 2.* mandat.

Editur fere cum ſinapi *Harengus Aſſus*, quod ſegniorem guſtum excitet, ructusq; ventriculi cohibeat, calens ab igne. Namq; eodem

Athenæo authore *lib.3.deipnoſoph.p.* 121. θερμόι τε οἱ τάριχοι ἡδίονές εἰσιν. Unde & *Antacæum ſalſamentum* pingue, prorſus candidum, calens laudat appoſitum *libro citato p.m.118.Vinū* aſſo *Harengo* ſuperbibere multis familiare eſt, quod tum nimis ad palatum ſapit: qui tamen multo conſultius facerent, ſi cereviſiâ enatam ſitim exſtinguere tentarent; cum acrimonia ſalis vino diluta hepar pervadat, illudq; inflammet.

CAPUT XIII.

De Harengis paſſis.

Harengi quoq; fumo paſſi populo frequentes in cibo toto anno ſunt: muriâ enim carnium (parcinæ præferunt, ut melioris) aliquot horas macerati, dum oculorum color mutetur, biß die Augen brechen/ſuſpenduntur in caminis, fumoq; intra paucos dies durantur, ut toto anno incorrupti permaneant. Primis menſibus, ut cæteri ſic infumati piſces, gratiores: unde etiam æſtate, ubi pleriq; piſces calore Venereq; prægreſsâ affecti, populare ſapiunt, admiſſi ad civium menſas; cæteroquin opſoniis pauperum relinquuntur. Coĉti immerſi prius *aceto* & *butyro* accipiuntur: alii *ſinapi* & *butyro* roborando ventriculo condiunt; quo etiam fatuus eorum ſapor emendetur, cum in his locis capti & ſiccati aridi fere ſint, & ſine pulpa. Ex his pinguiores crudi, inſtar *Anglorum Sprot*, appetuntur, ſoli aut cum acetariis. Meliores novelli, cum *Salmonem* guſtu mentiantur: ubi vetuſtatem adeptæ, tetrum ac rancidum ſapiunt, niſi fames eos commendabiles faciat, tenerrimâ pinguedine jam corruptâ & nidoroſâ (ut loquitur interpres *Actuarii lib.2.cap. 4.pag.m.25.*) carneq; longa die fumoq; ſtrigoſâ, aridâ, & pene ligneâ. Laudantur verò præ cæteris *Harengi* in *Angliâ* infumati, Engliſche Bucking/quibus & palmam concedit *Joh.Iſacius Pontanus lib.1.diſcuſſion: hiſtor.cap.14.p.m.74.* Celebres etiam in vicinia urbis *Enkhuiſæ* capti fumoq; durati, *Belgis* Strand-Bokken/Enkhuiſer Bokken/ ad ſalituram cæteroquin inepti.

Salſamentarii *Harengos ἀλιζομένους* in vili eorum annonâ, & jam vetuſteſcentes, quò diutius perennent, macerant, poſteaq; fumigandos ſuſpendunt, & ſiccatos venales proponūt: quales etiā *Bergis Norvvegicis*

opſonandæ infimæ plebi copioſi huc mittuntur, nullius fere dignationis aut gratiæ, ob cauſam jam allegatam, & quod vetuſtior ſalſura omnem gratiam jam exuerit: quos omnes concoctu contumaces eſſe, deteriusq; alimentum corpori ſufficere, nemo dubitaverit.

Nulla vero ſuffumigandorum *Harengorum* melior ratio eſt, nec ulla majorem *καπνισμῷ* datura gratiam, quam ſi ultimâ hyeme grandiores & lætiores, noviſſimè capti eligantur, atq; interaneis abjectis muriâ carnis macerati, aut ſale aliquot horis aſſervati, per paucos dies ſuperpoſito tegmine infumentur; ſic leviter paſſi medii diſcinduntur, butyroq; obliti in craticula blandiſſimo igne efferveſcunt, adeo delicati guſtus, ut cum precioſiſſimo ſapore *Salmonis* fere contendant. Sie ſchmecken wie Lachs/ ne *Harengum Truttam* ſapore æmulari gratis dixiſſe videar.

Sunt, qui recentes, decumanos, aliquot horas muriæ immerſos, poſteaq; in tonnis ſuſpenſos, impoſito operculo rariore, fumo accenſæ ſcobis quernæ torrent, abſolutâ intra 24. horas illâ *ἀναθυμιάσει*: quos fervefactos & butyro irroratos totâ hyeme & primo vere calidos epulantur, indiſcretæ fere cum *Salmone* ſimilitudinis: quales *Stralæſundi* generoſiſſimi ſaporis me ſingulari cum oblectamento comedere memini: qui etiam *Schleswicô* huc afferri, & à curioſis *Lubecæ* parari ſolent. Exenterari vero ante ſalituram debent, ne felleus humor ſuaviſſimam carnem, maximè, quæ ventri vicina eſt, amarore inficiat, neu recrementa in ventre hærentia tetrum & ingratum ſaporem communicent: quod tam neceſſarium à fumigantibus ſupinè hactenus negligi miror.

Optimum profecto alimentum, & quale à *Salmone* paſſo ob viſciditatem carnis vix ſperari poteſt, *Harengus* ſic infumatus præbet, muria atq; ignis calore maturitatem adeptus, exiccatâ piſculentâ humiditate igne fumiq; acrimoniâ: quam admiſto ſale lignorum volatili profectam teneritudinem addere ſalſamentis, novumq; nec ingratum ſaporem conciliare videmus.

Sic uvis quibusdam gratiam, qui & vinis, fumus affert fabrilis, iisq; gloriam præcipuam in fornacibus *Africæ Tiberii Cæſaris* authoritas fecit, ut notat *Plinius lib 14. hiſtor. nat. cap.* 1. qui & *Narbonenſia* vina fumo tingi prodidit *libro adducto cap.* 6. Quod ſi inveterari vina

na placeat, *Columellæ conſilio lib.1. de re ruſt. cap. 7. apothecæ rectè ſuperponentur his locis, unde plerumq; fumus eorum exoritur, quum vina celerius vetuſteſcant, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatē trahunt.* Et *Ariſtoteles lib.4. meteor. cap.* 10. Vinum *Arcadicum* utribus inditum fumo adeo ſiccari ſolere affirmat, ut, cum depromitur, concreſcat. *Author quoq; lib. de utilitate reſpir: Galeno adſcripti, circa finem* in quadam regione vinum ſuſpenſum ad ignem in utribus, evaporante aqua, in modum ſalis indureſcere memorat.

Maxima quoq; apud antiquos ſapientiores pernarum dignitas, ut conſtat ex *Plutone ſecundo, ex Convivatoribus Ariſtophanis*: quas *Ameipſias* apud *Athenæum lib.9. deipnoſoph. p. m. 368, in Sacrorum epulis appoſitas* tradit. Et *Gallicæ pernæ* olim in maximâ exiſtimatione fuerunt, authoribus *Varrone lib. 2. de re ruſt. cap.4. Athenæo lib. 14. deipnoſoph. p. m.657. Cerretanas in Hiſpania Strabo lib. 3. Geograph. Cantabricis* nihil cedentes laudat: quod & faciunt *Martialis Xen.* 51, & *Athenæus loco jam memorato*. Noſtri tamen mercatores fere quotannis plurimas in *Hiſpaniam* mittunt. *VVeſtphalicæ* & *Brunſvvicenſes* hodie famoſæ ſaginæ bonitate & ſingulari vaporandi curâ. Sed recentes ſint: unde *Martialis Xen.52.*

Muſteus eſt propera, caros nec differ amicos,
Nam mihi cum veteri ſit petaſone nihil.

Difficiliores tamen concoctu ſic paſſi *Harengi* recentibus elixis aut aſſis; quoq; magis vetuſtatem adepti fuerint, duriores evadunt, magis δύσπεπτοι. Sunt quorum teneras nares aſſi *Harengi* nidor offendat: qui tamen non alius eſt, quam reliquorum piſcium: quorum pinguedo cæterâ animalium ut inferior; ita, ſi in ſubjectas prunas depſtillet, ingratum quid ſpirat, quâ ſublatâ commendabiliores fieri piſces arbitrandum: quamvis & pinguedo liquefacta, dum bibit fuliginis cuticulæ impactæ qualitates, fumeum nidorem diffundat.

In ſuffiendis porro *Harengis* magna adhibenda cautio, ne nimio calore properatâ ſuffumigatione corrumpantur, neu languido ac diu intermiſſo fumo putreſcant, neu ligna putrida infumandis ſuccendantur, unde putidum ac tetrum ſaporem contrahunt, maxime noxii. Quin nec longius protrahi ἀναθυμίασις debet ne abſumpto penitus ingenito ſucco dureſcant, colore furvi, ſapore atq; odore pariter ingrati:

grati : quod diutius infumatis roſcida pinguedo brevi ranceſcat : cum & vina celerius vetuſteſcant, *quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt*, ut ex *Columella* jam monui.

Lignorum quoq; peculiaris eſſe delectus debet, pro quorum differentia & fuligo variat, ut docet *Galenus lib.7. ſimpl.litt:L*, & de fumo teſtatus *Theophraſtus lib.5. hiſtor: plantar: cap.* 10. *& aureo libello de igne p.m.436.* item *Aetius tetrabibl. 1. ſerm. 1. Litt. L.* Scobes quercina optima cenſetur : eſſe enim infirmiſſimam materiam oportet, & quam flamma facile carpat, eodem authore : pinea ad ſuffiendum inutilis, cum ingratum & reſinoſum guſtum καπνισοῖς conciliet : ut propterea pernæ aliaq; ſalſamenta, ubi ſolùm pineorum lignorum copia, tali ſuffitu ſiccari commodè nequeant. *Theophraſtus loco poſterius relato* fumum pini minus mordacem aſſerit, ob pinguedinem, & quod nihil aſperum, nihil terrenum obtineat. Eſt enim fuligo vapor terreſtris, fumus miſtio quædam ex terreſtri aqueaq; ſubſtantia ſententiâ *Galeni lib.8. meth. med. cap.5.*

Ἀύσκαπνα vero ligna viridia, tortuoſa, crebrius commota, & quæ humida ſunt teſte *Theophraſto locis citatis*. Hinc in luculentiore flammâ, quæ minus fumi emittit, quod is inflammetur & diſcutiatur, ciendo fumo ac temperando nimio calori aquam interdum aſpergunt : quâ tamen frequentius affusâ *Harengi* fraceſcunt, marcidi, friabiles & ſine ſapore.

Chalcides ſic infumatos piſces ab æris colore ſplendido appellarunt veteres, ut notat *Julius Cæſar Scaliger exercit. 226. ſect. 2.* Et *Chalcidica* dicebantur opera ex ferro, aut ære, aliove metallo, & quia *Chalcide in Eubœa* cœpta conflari : de qua re pluribus *Caſaubonus animadverſ. libr.14. Athen. cap. 6.* *Chalcides* quoq; piſces apud Athenæum *l:7. deipnoſoph. p.m.328*, à ſquamarum, ut arbitror, fulgore, qualis politi ferri eſt, ſic dicti : quod, ut Poeta canit

——— ——— dum tranſit in uſus,
Aſſiduo ſplendore micat, vultuq; nitenti
Audet ad argenti decus adſpirare ſuperbum.

Gallis Sorez dicuntur à nigrore, ut arbitratur *Rondeletius lib.7. de piſcibus cap. 16.* aut à Soer/ vocabulo *Gothico*, ut cenſet *Scaliger* : quod & *Germanicum* eſt *Saxoniæ inferioris*, & ſiccum ſignificat. Vulgò Bucking,

quod à fumo hircoſum ſpirent, ut opinatur Doctiſſimus *Martinius*: *Belgis* Boeckling & Beuckling/ an gratâ memoriâ adverſus *Guilielmum Beukelium*, primum apud Belgas authorem condiendi *Harenges* eosq; in tonnis ſtipandi? De quo admodum dubito: quod vetuſtior Belgis multò cura fuerit ſuffiendi *Harenges*, quàm condiendi, ut notat *Zuerius Boxhornius in Apolog. pro nav. Hol. p. m. 241.*

Primus quidem inter *Belgas* condiendi & in tonnis conſervandi *Harengi* rationem excogitaſſe fertur *Guilielmus Beukelius*, aliis *Beukeldius*, magni nominis piſcator, qui anno clɔ ccc XLVII. *Biervlieti* extremum vitæ diem clauſit: ob quod momentoſum inventum poſteritas etiam nunc reveretur viri memoriam. *Carolus quintus Imperator* tanti hoc inventum fecit, ut *Biervlietum* una cum ſorore *Mariâ, Hungariæ Reginâ*, adpellens, ſepulchrum *Bucheldii* adierit, veneratusq; ſit, haud ſine memoriâ ejus, tantiq; ad omnem poſteritatem ab eo profecti beneficii celebratione, ut teſtantur *Joh. Iſacius Pontanus lib. 2. diſquiſit: hiſtor. cap. 14. Ludovicus Guicciardinus in deſcriptione Flandriæ. M. Zuerius Boxhornius in apologia pro navigat: Holland. adverſus Heuterum, P. Bertius, Gerhardus Mercator, uterq; in deſcriptione* Flandriæ, *Schoockius in Belgio ſuo fœderato, lib. 1. cap. 2.* & alii.

Nihil detraham viri meritis; illud confeſſum: ſalſuras piſcium plurimis ſeculis fuiſſe cognitas, ipſorumq; *Harengorum* condituram multò eſſe antiquiorem: quod *Lubecenſes* aliiq; mercatores ex *Vandalicis* urbibus piſcandis & ſaliendis *Harengis* dudum ante in *Scaniam* quotannis conceſſerint; poſtea, vertente ſe hoc naturæ munere ad *Flandros*, *Beuckelium* primũ eos condiendi modum docuiſſe credo, non ſine peculiari invento, quò commodius ſervari, atq; ad diſſita loca in cadis transſportari poſſent.

Cæterum ut optimus vir gratam ſui memoriam iſto beneficio reliquit; ita in poſteris non minus claret, quos virtutum atq; eruditionis laude cumulatiſſimos habuit, cumprimis mundum illum literarum, *Deſiderium Eraſmum Roterodamum*, quem ſuæ, id eſt, *Bækeliorum* familiæ, aſſerit *Guilielmus Bækelius* loco jam citato, &, ne alios adducam, maximum *Lubec: Reipub:* & celeberrimum Medicum, *Joh. Henricum Meibomium*, maternum genus ex eadem familiâ derivantem. Quin hodie laudatæ familiæ ſupremum decus tuetur *Martinus Boekelius*,

lius, Iĉtus eximius & Reipublicæ noſtræ Conſiliarius. Quos intimâ familiaritate cum habeam mihi conjunctiſſimos, plura in horum laudem afferre nec verecundia mea patitur, nec præſentis loci admittit ratio.

CAPUT XIV.

De medicinis ex Harengo, cæteràq; ejusdem utilitate.

NE quid inſtituto operi deſit, medicinas ex *Harengo* quæſitas repetam, *ſacrâ illâ rerum parente nuſquam non remedia diſponente homini*, teſte *Plinio lib. 24. hiſtor. nat. in præfat.* Faſtidiis mederi, aviditatem ciborum excitare, ventriculum detergere, alvum ſolvere, in loco dixi; quemadmodum ſalſuram *Harengi* & lac copioſius gignere obſervatū. Quam tamē lactis abundantiam non ſalis natura, quæ ſiccans eſt & adſtringens, efficit, ſed quod ſitim pariat & appetentiam: unde copioſiore dato alimento uberior lactis proventus.

Contra canum morſus ſerpentumq; prodeſt muria cum concerptis linteolis impoſita, ipſaq; caro utiliter adhibetur, quod de *Thynni* ſalſamento confirmat *P. Ægineta lib. 7. lit.* T. Sic *P. Ægineta loco adducto, & Plinius l. 32. nat. hiſtor. cap. 5.* Salſamentorum cibum prodeſſe à ſerpente percuſſis, & contra preſteris & canis rabidi morsū ſalſamenta præſentiſſimo auxilio imponi referunt: quæ, ſi vel ferro non ſint uſtæ plagæ, corporaq; inanita clyſteribus, per ſe ſufficiant. *Cornelio Celſo lib. 2. de re med. cap. 27* adverſus cujusq; feræ morſum, præcipueq; ei quod canis fecit, *Sal* medicamentum eſt, ſi manus vulneri imponatur, ſuperq; id duobus digitis verberatur. Exſaniat enim: ac ſalſamentum quoq; recte ſuper id vulnus deligatur. Sic *alece* ſcabies pecoris ſanatur, infuſa per cutem inciſam: quæ etiam ulceribus ſerpentibus & ſordidis remedio eſt adhibita, ut de garo prodidit *Dioſcorides lib. 2. cap. 31, & Plinius lib. 31. nat. hiſtor. cap. 8.* Suggillatis *muria Harengi* cum *myrrhâ* imponitur: quæ & perniones certo ex-

perimento,& ambuſta recentia ſanat. Dyſentericis eadem utilis, ſi vel nome inteſtina corripit,& Iſchiadicis, addita clyſteribus. Adverſus ulcuſcula oris laudat *Geſnerus muriam* ex *Plinio loco citato.* Luxatis cum melle & farinâ ſalutariter admovetur. Capite *Harengi* uſto, ſuffitu extrahi ſecundas morantes creditur. Cinis *Harengi* combuſti pellendis febribus vulgo datur, ſi *Harengorum* copioſiore eſu febrem ſuccreviſſe ſit opinio. Adeo in rebus damnatis quoq; & jam nullis ſunt aliqua remedia,ut in cinere, ſententiâ *Plinii lib. 36. hiſtor. nat. cap. ult.*;& ſiccis paſſorum *Harengorum* capitibus,quæ lecto ſubſtrata probari adverſus cimices dicuntur *Geſnero lib. de piſcibus fol. m. 6. Novem ductus argentei Harengorum* remorantem urinam in homine & equis pellere *eodem authore* creduntur. Proinde cauſſas quisq; & effectus non res æſtimet, obſtinatus contra attonitas quorundam perſuaſiones, qui prodeſſe niſi pretioſa non putant. Equidem *naturæ placuerat,ſi Plinio* credimus *præfat. lib. 24. nat. hiſtor. eſſe remedia parata vulgo,inventu facilia,ac ſine impendio,ex quibus vivimus*,ut eodem authore *remedia vera quotidie pauperrimus quoq; cænet.*

Quartanas contumaces aliquando ceſſiſſe eſu *Harengorum ſalitorum* memoriæ proditum, quemadmodum & quartanam datis ſalſamentis curatam obſervatum ab *Alexandro Tralliano lib. 12. cap. 12.* Ita *C. Celſus lib. 3. de re med. cap. 16.* in vetere quartana acres cibos admittit,& *ſinapi cum vino Græco,ſalſo*,propinat. Unde & *Ludovicus Mercatus lib. 6. de putrid. febr. naturâ & curat*: in quartanis ſalſamenta laudat. Non quod ſalituræ *Harengorum* promiſcuum uſum in ſic affectis probare velim(in bilioſis enim & aduſtis humoribus contraria adhibenda,) ſed morbo ex craſſis frigidis humoribus genito, iisdemq; ſtomacho oppleto,atq; ubi lienem multa urget obſtructio, apparente πιμελῇ,corpore euſarco,aut certe frigido & humido. Ab uſu vero *Harengi* ſaliti potu, quantum licet, abſtineri ægros convenit mandato *Tralliani*: quò vis ſalſamenti potentius in corpore operetur; hinc ſiti intolerandâ excruciante vinum dilutum, quantum libet, dare. Ipſam hiſtoriam ex *Tralliano* huc adſcribere placet, quod author minime popularis ſit,& creberrimæ quartanæ adhuc graſſentur, ſicubi huic remedio locus videatur, &, quod interdum fieri ſolet, ægroti ſalſuram talem anxie deſiderent. *Ego, ait, novi quendam ex iis, qui*

quar-

quartana ex terreſtri & frigido humore laboraret, ita uſu hujus rationis victum liberatum, ut etiam per alvum humorem exuperantem excreverit. Erat autem id, quod excreverat, adeo valde nigrum, ut nonnullis medicorum metum incuteret, non modò ob colorem, ſed etiam propter copiam evacuatam. Verum quod æger paulo pòſt morbum facilius ferre inceperit, & quod lien, qui antea maximus erat, parvus evaſerit, effecit, ut omnes bene ſperarent, & nihil amplius metuerent.

Idem author lib. adducto cap. 7. §. Quando ſalſis utendum, &c. in quotidianis febribus, jecore aut ore ventriculi refrigerato, pituitoſo vomitu, ſalſamenta aliaq; calidiora probat. Humidus enim & frigidus ſtomachus univerſa extenuantia citra noxam tolerat. *Auſus igitur ego quandoq; ſum* (verba ſunt interpretis) *in quodam, qui quotidie febris acceſſionem experiretur, & pituitam vomeret, ſalſis uti, & piſce ſale condito, qui Græcis ἰγκατηρὰ dicitur, item hydrogaro, porri decocti jure, et mirifice convaluit, &c.* Quo in caſu *Harengum ſalitum* præ cunctis aliis ſalſuris laudaverint, quod εὔπεπτον, & ſtomacho languenti minus gravis ſit, ſucciq; bonitate; ac gratiâ nulli facile cedat. Confer *Gal. 3. alim. fac. c. 41.*

In continuis febribus *Harengus muriaticus* diſſectus plantis pedum alligatus à capite potenter revellit. Clavos pedum extrahere pulpa ἀλιπάστου impoſita creditur. Dentium putredini ac dolori muria diluta confert, quod & aqua marina præſtat teſte *Plutarch. l. de ſanit. tuenda.* Bubus faſtidio ciborum laborantibus *Harengus ſalſus* pice oblitus in fauces detruditur: namq; pituitam eorum ex ſtomacho potenter deterget. *Harengorum* quoq; *muria* armentorum & pecudum naribus infunditur. Ea res omnem pituitam per nares elicit, & pecudem expurgat. In peſtifera labe, ubi intra paucos dies equæ ſubitâ macie & deinde morte, corripiuntur, ex *garo* commendatum à *Columellâ lib. 6. de re ruſt. cap. 33.* remedium.

Aſellis, Rhombis, aliiſq; piſcibus capiendis *Harengi* fruſtulum hamo imponitur; quiſq; namq; incrementi minuti piſcis majorem alit, ut teſtantur *D. Ambroſ. Hexaem. l. 5. c. 4, Baſilius Magnus Hexaemeri Homilia VII.* Quod & præter *Ariſt. l. 9. hiſt. an c. 2.* docuit *Columella l. 8. de re ruſticâ c. 17.* Quo authore cibandis piſcibus, *alecula, cammarus, exiguus gobio* piſcinis immittuntur, itemq; anatibus obiiciuntur, *libro eod. c. 15.* Qui & planos piſces ineſcari magis ſalſamentis *l. 8. de re ruſt. c. 17.* meminit: nam quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hau-

 riunt.

riunt. *Itaq; præberi convenit tabentes halecùlas & ſalibus exeſam chalcidem, putremq; ſardiniam, vel quicquid inteſtini ſalſamenta gerunt. Nulla enim æq; quam ſalſuræ pabula commodantur, quoniam odorata ſunt. Omnis enim jacens piſcis magis naribus eſcam, quàm oculis veſtigat: nam dum ſupinus ſemper cubat, ſublimius aſpectat. & ea quæ in plano ſunt, dextra lævaq; non facile pervidet: itaq;, cum ſalſamenta objecta ſunt, eorum ſequens odorem pervenit ad cibos.* Hactenus Columella.

CAP. XV.

Harengi inæſtimabile pretium, atq; inter piſces principatum aſſerit, adjectâ tractatus coronide.

CUm tanta ſit *Harengi* præſtantia, cæleſtis indulgentiæ, cujus providentiam ſatis admirari amplectiq; non eſt, munere ſingulari evenire credendum, Oceanum annuâ vice, velut æternô quodam puerperiô, *Harengos* plurimis locis, copiâ inenarrabili, qualis non alia piſcium eſt, effundere; quæ non modo adſitis populis, verum etiam toti Europæ ſufficiat, magnô rei familiaris emolumentô, parabili, pretiiq; viliſſimi alimento: quo fere carere in his regionibus vita ruſtica, ne quidem civilis, commodè non poteſt: adeo nulla pene dies agricolis, opificibus, aliisq; ſine *Harengo* eſt. Quàm difficulter *Catholicorum*, præſertim quadrageſimarum, jejunia traducerentur, illis maximè locis, ubi aliorum piſcium minor copia. Equidem ſalſamenta alia longè lateq; diſtrahi ſcio, ſed quæ ad pretium & copiam *Harengi*, ne quidem ſint comparanda. Quot mille homines (plusquam viginti in ſolâ *Hollandia* ac *Selandia lib.8. Belg. fœderat: cap. 2. Schoockius* numerat, & *Theodorus Graſvvinckel* quotannis bis mille naves ad piſcationem â *Belgis* expediri ſcribit in *vindiciis maris liberi adverſus Burgum*) harum pecudum marinarum captura, ceterarumq; rerum ad piſcationem & ſalſuram pertinentium miniſterio occupati ſunt, qui eo labore ſolo ſe ſuasq; familias ſuſtinent! Quam ampliſſimi merca-

torum

torum proventus *Harengis ſalſis* venum daris, ne dicā pecunias vectigales, quæ ſupra privatos reditus, nec exactè cenſeri poſſunt! quod tam *Angli*, quàm *Belgæ*, aliiq; fatentur, *Camdenus in Britannia pag. 586. Seldenus lib. 2. de dominio maris cap. 21. Schoockius loco allegato, Ulyſſes Aldrovandus lib. 2. de piſcibus cap.* 10. Ut graviſſimi belli inter *Anglos Belgasq;* geſti occaſio magnâ ex parte inde ſuborta vulgò credatur, illis Regiam potentiam, marisq; clauſi arbitrium ſibi aſſerentibus, his pro libertate ſua, liberoq; maris commerciô, ut communi bonô (ſententiâ *Senecæ lib. 4. de beneficiis cap.* 28. quemadmodum & *Phænicides* τὴν μὲν θάλασσαν κοινὴν εἶναι, τοὺς δ' ἐν αὐτῇ ἰχθῦς τῶν ὠνουμένων mare quidem omnibus eſſe commune, piſces verò ejus eſſe ementium, ut refert *Athenæus lib. 8. deipnoſoph. pag. 345.*) ſtrenuè pugnantibus.

Plato in legibus, quod & refert *Plutarchus de ſolert: animal p.m. 965.* prohibuit, aut voto petiit, ne marinam venationem adoleſcentes unquam amarent: quod nulla roboris exercitatio, nulla ſapientiæ meditatio, nec quicquam ad vires agilitatemq; conducens, inſit certaminibus, quæ adverſus *labraces, congros* aut *ſcaros* ſuſcipiuntur: cum in terreſtri venatione ferocia animalia congredientium exerceant audaciam & fortitudinem, verſutiâ inſidiantium calliditatem, velocitate robur & laborum tolerantiam. Ego etſi laudi venationis nihil detraham, celebratæ à *Xenophonte lib. 1. de Cyri inſtitut. p. 5. & lib. de venat. proprio, Plutarcho lib.* Πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, *Galeno de parv. pilæ luſu cap. 1. Plinio juniore lib. 1. epiſt. 6. Oppiano lib. 1.* κυνηγετικῶν, ut quæ ſimulachrum belli referat, corpus animumq; ſimul exerceat, non minore voluptate, quàm emolumento: ingens tamen utilitas θαλαττίας θήρας, & cui altera meritò ſit poſt habenda: quæ ſi locis diſſitis, horrido ac tempeſtuoſo mari inſtituatur, corpora pariter firmat, & adverſus labores, æſtum, famem, ſitim, tempeſtates, frigora aliaq; pericula obdurat, belloq; navali aptiſſima reddit.

Extollant alii, quisq; pro guſtus ſui arbitrio, alios piſces, *Harengi* recentis ſingularis & exquiſitiſſima bonitas, copia immenſa, quanta non alia piſcium, cujus cujus generis, toto orbe obſervata. Laudent ſalſuras piſcium, *phagros, mugiles, ſalſamenta coracidia, horidia, melandrya, pelamidia, colia, typhlinidia, abramidia, elephantina, mænomænia,*

mem-

membridia, auchenia, clidia, hypogaſtria, cybia, oraa, &c. de quibus *Galenus* 3. *alim. fac. cap.* 41. *Oribaſius lib.* 2. *collect. cap.* 39. *Athenæus lib.* 3. *deipnoſoph. p. m.* 116. *Trallianus lib.* 12. *cap.* 12. aut noſtri ſeculi ſalſamenta, *aſellos, capitones, ſcombros, congros, murænas, paſſeres, lampetras, encraſicholos ſeu anthias*, aliaq; gulæ irritamenta; nulla ſunt copiâ & bonitate *Harengo* ὁμοπαίδι (ſi mihi mutuũ petere liceat verbum, tributũ *Labraci* piſci ab *Athenæo lib.* 7. *deipnoſophiſt. pag.* 310.) ſimul conferenda; cum *butyrum oleum*, aromata pretioſa, aliaq; condimenta, quibus guſtui ſe commendent, pleraq; poſtulent; *Harengus* ſcitiſſimo ſapore & ſola ingenita bonitate placeat, elixus, aſſus, ſalitus aut paſſus, ſine aliorum ſaporum ornamentò, quod nolentes ad edendum invitare & cogere poſſit; namq;, modò recens ſit, nec fœturâ contabuerit, ut *Plauti* verba ex *Aſinar. act.* 1. *ſcen.* 3. uſurpem,

Is habet ſuccum, is ſuavitatem, eum quovis pacto condias:
Vel patinarium vel aſſum, verſes quo pacto lubet.

Ipſe etiam *Salmo*, ſaporis delicio incomparabilis, ceſſurus *Harengorum* gloriæ: quod horum guſtus ad *Salmonis* ſuavitatem non modò accedat, ſed & maxime ſint innoxii: cum viſciditas nimiaq; pinguedo *Salmonis* à medicis ſemper fuerit damnata: ne pretia utriusq; piſcis aliorumq; ſalſamentorum ad calculum revocem, cenſu ex *Harengis* multò, quam qui fidem capiat, lautiore; maximè ſi *Stroemlingus Suecicus* & *Sardellæ* ſeu *Sardinæ*, quos ad *Harengorum* genera neceſſariò referendos duxi, ſimul in computationem rationum veniant: quorum ille vaſtiſſimo *Regno Septentrionali* peculiaris piſcis, *Harengo* quàm ſimilimus; recens generoſi ſaporis, ut qui ſit ſaxatilis: hæ paucis notis ab *Harengo* diſcretæ, cætera eædem, toto mari mediterraneo copioſiſſimæ ſalluntur, aut in *Angliâ Belgioq;* paſſæ latè veniunt, noſtrisq; *Harengis* permixtæ capiuntur, quas ad ſallendum aptas docuit *Galenus* 3. *alim fac. cap.* 41. ex quo repetit *Oribaſ: l.* 4. *coll: c.* 2. & eandem cum *Harengis* experiri fortunam videmus, plebiq; cibandæ fere deſtinari: quamvis *Lubecæ, Hamburgi*, aliisq; locis remotioribus, pretioſis ſalſuris, quæ guſtum titillent, cum *encraſicholis* annumerentur.

Quod ſi *Sardinarum* & *Sardarum* nulla, niſi ætatis & magnitudinis ratione differentia (ut cenſet *Ulyſſes Aldrovandus l.* 2. *de piſcib. c.* 38. *de Sarda ſive Sardina*, & *Rondeletius lib.* 7. *de piſcib. c.* 12. *de Sardin.* eundem piſcem,

piſcem, ſi major ſit, *Sardam*, ſi minor, *Sardinam* in *Italiâ* appellari teſtatur: quemadmodum & aliis piſcibus, ut *Salmoni*, maximè verò Thunnis, quorum plura genera, quàm ut exactè cognoſci poſſint, authore *Baſilio Magno Hexaemeri Homiliâ* 7, pro ætatis & magnitudinis diverſitate varia nomina impoſita, ut *Cordylæ, Pelamidis, Thynni, Orcyni, Ceti*, apud *Athen. lib. 7. deipnoſoph. p. m. 303. Plinium lib. 9. hiſtor. nat. c. 15.*) eademq; cum *Harengis* natura ac ſubſtantiæ bonitas, næ ingens *Harengorum* gloriæ acceſſura commendatio: cum *Galenus* (quem ſequitur hac in re *Oribaſius*) præſtantiſſima omnium, quæ experientia cognoſcere licuit, ſalſamenta *Sardica* ſtatuat 3. *alim. facult. c.* 41, quæ *ſardas* vocant, & *Sardas* ex *Sardiniâ* & Iberiâ afferri optimas atq; omnib⁹ ſalſuris præferendas ἡδονῆς τε ϗ μαλακότητος ἕνεκα, obſuavitatē & carnis mollitiem (quæ etiam *Harengis* ſale conditis exquiſitam gratiam conciliant) *Idem lib. ejusdem c.* 31, ſcribat: quemadmodum quæ conditurâ ſalis tenera & mollia redduntur, omnibus ſalſamentis anteponit. 3. *alim. fac. cap.* 42. ut dura, nervoſa, coriacea præcipue damnantur, quibus locis & *Sardam* à *Pelamide* diſtinguit, quod & facit *Oribaſius lib. 4. collect. cap.* 1. §. *quæ corp*: ne hanc à dictis authoribus intelligi quis objiciat, quod apud *Plinium Sarda* vocetur *Pelamis longa ex oceano veniens, lib. 32. hiſtor. nat. cap. ult: Sardam* farſilem tradidit *Apitius lib. 9. cap.* 10. quin & noſtri *Harengum* delicatè farcire norunt.

Contuliſſe ſcilicet in *Harengum* cunctas dotes natura videri poteſt, quas aliis piſcib⁹ ſigillatim conceſſit: ut tot rationum ſolidis ac τελεσγυνοις fundamentis gloriâ generoſiſſimi piſcis aſſertâ & vindicatâ principem inter piſces locum is meritò, ſummoq; jure teneat, ac dudum coronari meruerit. Qua etiam de re, tum luculenti quæſtus memoriâ, coronari *Harengos* uſu receptum arbitror, non tantùm primâ eorum ſalſurâ adductâ, quam corollis & ſertis virentibus excipi ſolere dixi; ſed & ipſis *Harengis* cum corona depictis, ut *Lubecæ* in *Collegii mercatorum Scandianorum* veſtibulo, cæterisq; *Civitatibus Hanſeaticis*, id videre licet: quo principalis piſcis dignitatem tali exemplo publicè teſtarentur.

HÆc ſunt, *Magnifici, Nob:mi Conſult:mi & Ampliß:mi Domini Conſules*, *Suprema LUBECÆ Decora*, quæ ſuper Harengi materiâ commentari volui, ut ſermonibus tum ultro citroq; diſcuſſa; quæ etiam patronatus honorem vobis propterea deferri poſtulabant, & in ejusdem conſortium accerſi *Amplißimum* DN. DORNIUM, tum ſonticis cauſſis abſentem, quod eum unà vobiſcum conſpiratione amoris ordinis litteratorum, meiq;, quàm amantiſſimum ſciam; ut devoti, atq; ob multa præclara magnaq; merita obnoxii animi & hoc publicum extaret monumentum, pariterq; fama clariſſimi veſtri nominis, difficilimis Reipublicæ caſibus authorata, ſi qua veſtro ſplẽdori acceſſio per me fieri poſſet, hoc, quamvis tenui, ſcripto prorogaretur.

Iſta vero ſi vobis grata fore intellexero, eſt, quod apprimè gaudeam: cum tantis rei literariæ atq; exiſtimationis meæ arbitris *ἐκκεκαθαρμένοις τὰς ψυχὰς*, ut loquitur *Xenophon in convivio* hęc probantib', aliis eadẽ placitura nõ dubi-

dubitem. Qui ſi quid hac lectione profecerint, illud omne vobis acceptum ferre meminerint: quorum inclyto honori, æternæ venerationis obſidem, exercitationem præſentem conſecrare ſtatui, cæteroquin æternâ nocte obruendam. Quod ſi hac in re accuratiſſimi ſcriptoris munus executus non fuerim, multaq; adhuc relicta, alia dubitationum involucris implicita, aut minus veriſimilia à me propoſita videri poſſint; profiteor, hæc inter cætera praxeos meæ impedimenta paucis ſeptimanis, operâ fere deſultoriâ, à me literis conſignata; Harengum quoq; profundo maris à natura merſum non potuiſſe in exactam contemplationem vocari; ut confeſſa rei obſcuritas erroris veniam mereatur: cum alias *emendatiſſimi viri eſſe* ſciam, ut divinis *Auſonii verbis epiſt. ad Gratian. Imp.* rem finiam, *pœnitenda non facere.*

Feliciter valete *Proceres Ampliſſimi*, &c, cum in veſtrâ incolumitate ſalus Civitatis noſtræ ſecundùm Deum reclinare videatur, Rempublicam ſtatuminate quàm diutiſſime!

VIRO
EXCELLENTISSIMO,
PAULO NEUCRANZIO,
MEDICO CLARISSIMO,
amico optimo & ſincero.

NOſtrum, NEUCRANZI, dum tu deſcribis Harengum,
Ille tuæ monſtrat mentis Harengus *opes.*
Pridem ejus toti fuit orbi cognitus uſus,
Gloria ſed nulli cognita rite fuit.
Tu nos multiplices in parvo corpore dotes,
Tu ſapidum guſtum deliciasq́; doces.
Et nunc innumeris per te fit gratior oris,
Gratiùs & multis piſcibus ille ſapit.
Tu vero ſolitos dum ad nos mare volvet Harengos,
Ingenio vives clarior usq́; tuo.

Jo. Henricus Meibomius.

IN-

A.

ACetum cur *Harengo* addatur. 29.
condimenti ſpecies. *ibid.*
Acutus & ſalſus ſapor quid præſtent in cibis. *ibid.*
Acipenſeris dignitas. 39.
Acta & in Actâ cœnare. 33.
Adulatoris proprium. 4.
Alex ſeu alec quid ſignificet. 11.
variis piſcibus olim parata. *ibid.*
Alecula *Columellæ* ſale condita. 11.
Alimenta levia imbecillis danda. 55.
Allus pollex *Feſto*. 12.
Amici circa ſalem & cuminum. 56.
Anguillæ cur diu in ſicco vivant. 23.
Anſeres in cœnâ *Cenſoria*. 61.
Apua viliſſimus piſcis *Athenis*, alibi honoratior. 50.
Aqua in piſcibus idem præſtat, quod in cæteris animantibus aer 24. & 25.
Aqua ſola an *Harengi* nutriantur. 26.
Archeſtrati ventris cauſâ peregrinatio. 42.
Ariſtotelis laus ex *Athenæo* 19.
ex *Plinio*. 42.
Aſſus Harengus optimus & elixo prælatus. 45.
Aſſa an elixis humidiora. 45. & *ſeq.*
Allium unde dicatur. 45.
Aſſi piſces non ſemper meliores elixis. 46.
Aſſus *Harengus* quibus condiatur. *ibid.*
elixo tardius digeritur. *ibid.*
Aſſi *Harengi* refrigerati noxa. 47.
Athenienſis populi improbum judicium. 49.
Avaritia quæ mortales facere cogat. 8.
Avium plumæ noctu lucentes. 20.

B

Balæna muſculum ducem habet. 14.
quomodo capiatur. *ibid.*

Bellonii lapſus. 8.
Beukelius conditura *Harengrum* celebris. 74.
Bibendo *Parthi* gloriam quæſivere. 12.
Branchiis parvis piſces diu in ſicco vivunt. 23.
Brandhering. 66.
Breedling/ Sprot & Sardinæ iidem piſces. 19.
Bucking. 71.
Buccea *Theſſalica*. 5.

C.

Carthaginenſis populi ingratitudo. 49.
Caro hædina agninâ melior. 37.
Caſeo Itali piſces condiunt. 30.
CHRISTINA, REGINA SUECIÆ. 20.
Cibus ſimplex optimus. 29.
Cibus pejor, ſed ſuavior, meliori, ſed ingrato, præferendus. 67.
Convivia quæ poſtero die grata 5.
unde dicta. *ibid.*
Condimenta varia ciborum mollis animi ἐπιθυμήματα 64.
Coitus *Harengos* deteriores efficit 41.
Cutis tenera piſcium optima. 45.

D.

Dactyli lucentes. 20. & 21.
Diætæ legibus vivens ſuæ ſpontis fit. 67.
Doctis apud vinum locum eſſe. 5.
Dulcia rapiuntur, antequam coquantur.
à naturâ obſtructiones generant. 29.
& bilem flavam. 30.

E.

Elixatio *Harengi* ut inſtituenda. 31.
Item in gravis ſaporis piſcibus *ibid.* & 45.
Elixi *Harengi* temperamentum. 34.
Euſtathii de ſale locus. 55.

F.

Fames optimũ ciborũ condimentũ. 67.
Falſterboa olim captura *Harengorum* ampliſſima. 57.

Bello.

Favonius unde dictus. 16.
Ferventi aquæ piſces immittendi 30. & 31.
Ferventes ab igne piſces edendi. 31.
Fervidorũ magna exiſtimatio. 31. & *ſeq.*
Flamma major minus fumi emittit. 73.
Fumigari *Harengi* quomodo debeant. 71
Fumo vinis quæſita gratia, 72.
item uvis, 71.
G.
Garum liquaminis genus. 11.
Germania tota *Strabonis* & *Plinii* tempore pereognita non fuit. 7.
Gloria non contemnenda. 59.
Græcari *ibid.*
Graß Hareng. 59.
H.
Harengus Græcis & *Romanis* ſcriptoribus ignotus. 6.
non eſt Thriſſa 9.
non Chalcis 10.
ad Chalcidem referri poteſt, 12.
non eſt Mæna. 10.
non Alec, aut Halex veterum, 11.
Harengorum copia immenſa, 13.
peregrinatio. 15.
Harengus ubi degat. 14. 15. 16.
Harengorum captura ad *Scaniam* olim copioſa, 57. inde ad *Norvvegiam* ſe vertit, hodie lautiſſima ad *Britanniam* 58.
Harengus quando melior, 15. 35. & 41.
Harengus lacuſtris 22.
Harengus ad littora maris Balthici vere parit 17. & autumno ad *Angliam* & *Scaniam:* 18.
Harengi ſemel in anno pariunt. *ibid.*
Harengos ante diem D. *Joh. Baptiſta* piſcari interdictum. 18.
Harengus quibus ſignis prodatur. 20.
Harengus aquæ dulcis indignātiſſimus. 21
aqua elatus brevi moritur. 21. & 23.
pipit captus. 23.
Harengus aliorum piſcium more nutritur. 28.
Haren-

Harengus an igne alliciatur. 21.
Harengus truttis præfertur 45.
Harengus electiſſimæ bonitatis cibus 4. 36. 38. 40. 43.
Harengi non omnes ſunt conditanei. 59
Harengorum captura quo tempore fiat, & quàm diu duret *ibid.* & *ſeq.*
Harengus brevi adoleſcit. 59.
Harengi qui deteriores. 60.
Harengus copiâ faſtiditus. 49.
an febrem excitet 50. & *ſeq.*
Harengus à vulgô & medicis quibusdam ſpretus. 4.
Harengi bonitas authoritate confirmata. 49.
Harengus ſanis & ægris tutò datur. 54.
Harengus quibusdam annis melior aut deterior. 41.
item pro locorum diverſitate. 42.
Harengi pretium inæſtimabile. 78.
Harengi politicus uſus. 77.
Harengi in medicinâ uſus. 75.
Harengo nullus piſcis pretio & bonitate comparandus. 79. & 80.
Harengus ſub Sardinâ à *Galenô* & *Oribaſio* laudatus. 81.
Heliogabali luxuria. 54.
Hircire piſces qui dicantur. 65.
I.
Ignes noctu à piſcatoribus *Harengorum* cur accedantur. 21.
Ignavia corpora torpida reddit. 38.
Inſecta quomodo ſonos edant. 23.
Joci illiberales taxati, 56.
L.
Lac piſcibus non addendum. 30.
Lac alimentum optimum.
corruptum maxime noxium. 51.
Lari *Harengos* produnt.
Literæ ſerius innotuere *Arctois* locis. 6
Lubeca encomium 62.
M.
Mæna

Mæna contemptiſſima. 10.& 11.
Maetgens Hareng. 50.61.& 65.
Marina omnia fœcunda. 26.
Marini piſces optimi. 38. & ſeq.
Marina aqua gravior fluviali. 26.
Mollium piſcium genus. 37.
Mollis carnis piſces qui. 37.
Muræna *Pomeranica* ſpuria. 22.
Muræna cur diu in ſicco vivat. 23.

N.

Navigatio priſcis temporibus anguſtioribus terminis peracta. 5.
Naturæ beneficia commodato, non mancipio, data. 58.
Nicolaus Tulpius laudatus. 13.

O.

Olai Magni lapſus in *Stroëmlingo* & *Harengo*. 20.
Origanum Creticum *Harengi* exquiſitum condimentum. 64.
Oſtrearum dotes. 12.
Oſtreæ facile vitiantur in ventriculo bilioſo. 53.
Oſtreæ ex lacteo ſucco *Harengi*. 68.
Ova gallinarum optima. 52.
corrupta peſſima. *ibid.*

P.

Palmis ſalſas aquas prodeſſe. 27.
Paſſi *Harengi* qui gratiores. 70.
quomodo parandi. *ibid.* & *ſeq.*
Salmonis ſapórem habent, eidemq; prælati. 71.
Pernarum commendatio. 72.
Philoxeni votum. 32.
Platonis convivium quale. 5.
Piſces an reſpirent. 24. & 25.
Piſcium ſingula genera non dum penitus nota. 7.
Piſces quidam plura habent nomina. 81.
Piſces intra præſcriptos fines vagantur. 18.
Piſcium mira ſagacitas. 16.
Piſces adverſus ventos natant. 17.
quiete opimati. 18.& 41.
quidam hyeme latent. 17.
Piſces iidem cur non eodem tempore pariant. 19.
Piſces muti. 22.
ſtridores & ſonos emittunt. 23.
Piſces quidam in aqua & terrâ ſimul degunt. 25.
Piſces lenti, duri, condimenta poſtulant. 29.
Piſcium diu refrigeratorum noxa. 31.
Piſces mediocres meliores, magni δύσπεπτοι, minores facile corrumpuntur. 43.
Piſces ægrotis conceſſi. 54.
Piſces ſtagnantium aquarum peſſimi. 38.
Piſces quando ſuaviſſimi. 41.
Piſcationi *Harengorum* viginti millia hominum in ſola *Hollandiâ* & *Selandiâ* operam locare creduntur. 78.
Piſcationis commendatio. 79.
Piſcatio *Harengorum* quo tempore fiat. 15.
Pinnæ in piſcibus quid præſtent. 43.
Pinnati & ſquamoſi piſces cur *Iſraelitis* conceſſi. 44.
Πολυφαγία gentes infames. 4.
Poma *Harengis* eximiam gratiam conciliant. 33.
Popularis auræ captatio indecora. 48.
Pythagorici piſcibus abſtinebant. 23.

Q.

Quæſtus maximus ex *Harengo*. 78.
Querna ſcobes ad fumum optima. 73.

R.

Rara & peregrina pretioſa. 49.
Recentes piſces meliores, & ſummâ curâ olim quæſiti. 33.

S.

Salmo nobilitatus nuptiis *Lubecenſibus* 39.

Salmo *Harengo* poſthabitus. 80.
Salituræ qui piſces commodi. 20.
Salis ad generandum vis. 26. & 27.
Sale *Harengus* duratur. 55.
Salis virtutes. *ibid.*
Sal cur *Homero* divinus dictus *ibid.* & *ſeq.*
Sal hoſpitibus cur apponatur. 56.
Sale aſperſi ſermones. *ibid.*
Salis in religione uſus. 57.
Salituræ *Harengi* ſingularis cura. 60.
Salſura *Harengi* ante 10. diem non eſt venalis. 60.
Saliti *Harengi* muſtei optimi. 61.
Salſus *Harengus* in epulo annuo *Lubecæ* convivis apponitur. *ibid.*
Salſus *Harengus* vino maceratur. *ibid.*
Salſa & acria poturis danda. 62.
Salſus *Harengus* quale ſit alimentum. 63.
Der Geſundmacher dictus *ibid.*
Salis laudes. 63.
Sal ὄψον ὄψων καὶ ἥδυσμα. *ibid.*
Sal innumeris generibus olim contabuit. *ibid.*
Salitus *Harengus* absq; condimentis placet. *ibid.*
Salſi *Harengi* varia conditura. 64.
Salſamentum putre *origanum* amat. *ibid.*
Salſamenta omnia maceranda. 66.
aqua marina rigata dulciora fiunt. *ibid.*
Salſi *Harengi* induunt naturam alioru ſalſamentorum, maxime inveterati. 68.
Salſi ſed elixi *Harengi* præparatio. 69.
aſſi præparatio. *ibid.*
Salſamentum aſſum ſtatim, ac ignem viderit. *ibid.*
Salſis *Harengis* vinum non ſuperbibendum. 70.
Salſamenta nulla bonitate & pretio cum *Harengo* ſalito conferri poſſunt. 78.
Salſamentis piſces allici. 77.
Sarda, Sardinia, Sprot Anglorum, Breedling ſunt ſynonyma. 80.
eorum commendatio. 81.
Saxatiles piſces nullis condimentis egent. 29.
Schonenfahrer Schütting. 58.
Squamoſi & pinnati piſces meliores. 44.
Squamæ unde generentur. *ibid.*

T.

Thriſſæ aridæ & ſpinoſæ. 9.
Trichides & Trichiæ congeneres piſces & unde dicti. *ibid.*

V.

Venationis encomium. 79.
Vere piſces in Venerem aguntur. 16.
Venus cur è mari orta dicatur. 26.
Veneris immodicæ noxa. 41.
Vinum fumo inveteratur. 72.
ſiccatur. *ibid.*
apud vina & doctis locum eſſe. 5.
Uvæ fumo paſſæ. 71.

SOLI DEO GLORIA.

ERRATA.

P. 7. l. 10. Pro *Regio ſi qua fuit*, Lege, *Si qua fuit tellus*, p. 14. lin. 15. ἡγητὴς. p. 20. l. 9. ἐυςόμως. p. 21. l. 20. alliciuntur. p. 25. l. 8. Hexaemeri, p. 45. l. 8. cibis. p. 50. l. 32. à me. p. 70. l. 10. porcinæ. p. 72. l. 10. *Amei*. lin. 11. *pſius*.

Bayeriſche Staatsbibliothek München

Digitized by Google